DE

M. PORCIO LATRONE
COMMENTATIO.

DISSERTATIO

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. XV. KALENDAS DECEMBRES A. MDCCCLV.

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

TH. BACH, SEM. PHIL. REG. SOD.
C. WIESZNER, SEM. PHIL. REG. SOD.
C. PROLL, SEM. PHIL. REG. SOD.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS LINDNER,
SILESIUS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS HENRICI LINDNER.

VITA.

Gustavus Lindner formulae addictus evangelicae, tricesimo tertio hujus seculi anno ante diem X Cal. Februarias natus sum Vratislaviae, patre Ferdinando, tibialium textore, matre Guilelma e gente Langiana, quam ante hos tres annos praematura morte ereptam mihi esse vehementer doleo. Primis litterarum elementis postquam imbutus sum in ludo publico, peracto fere decimo aetatis anno Gymnasium adii Magdalenense, nunc quoque sub auspiciis clarissimi viri Dr. Caroli Schoenborn laetissime florens. In quo quos nactus sum multos praeclarissimos praeceptores et in me semper benevolentissimos, eorum grato animo recordari nunquam desinam. Iis studiorum ductoribus usus per plus octo annos cum maturitatis testimonio anno 1851 hanc almam Viadrinam adii et inter ejus cives a Barcow, viro clar. tunc fasces academicas tenente, receptus nomen dedi apud Ambrosch, virum Ill., tunc ordinis philosophorum decanum, ut philologicis studiis toto animo me darem. Atque his cum tribus semestribus vacassem, contigit, ut inter seminarii regii sodales reciperer iisque per duos annos adscriptus directorum Schneider et Haase uberrima doctrina fruerer. Contigit etiam, ut Haase et Ambrosch, viri summa semper pietate a me colendi, rara liberalitate et comitate familiaris consuetudinis participem me esse vellent, qua quidem benevolentia in studiis admodum me esse adjutum grato animo testificor. Neque vero praeter philogicas alias litteras negligendas ratus scholis interfui philosophicis historicis, theologicis apud viros Ill. Braniss, Cauer, Groeger, Hahn, Kahlert, Reuter, Roepell, Rückert, Wuttke, Wagner, quibus omnibus gratias ago quas debeo maximas.

THESES.

1. Latine scribendi et loquendi exercitationes in scholis nullo modo coercentor.

2. „Latro“ verbum e graeca voce „λατρεύω“ derivandum videtur.

3. Sen. contr. I. praef. 69 verba „diem ducere“ intacta relinquenda sunt.

4. Sen. contr. V. 30. 331 l. 25 et 26 sic emendaverim: Legunt ambusta membra et ossa liberorum conjectura dividunt.

5. Thuc. III. 56 ext. ita lego: καὶ τὸ ξυμφέρον μὴ ἄλλο τι νομίσαι, ἢ τῶν ξυμμάχων τοῖς ἀγαθοῖς ὅταν ἀεὶ βέβαιον τὴν χάριν τῆς ἀρετῆς ἔχωσι, κἂν τὸ παραυτίκα που μὴ ὠφέλιμον καθιστῆται.

I.

§ 1.

De fontibus.

Fontes, ex quibus notitiam haurimus Porcii Latronis, et numero et copia admodum sunt exigui. Nam unicus fere est Seneca: qui accedunt alii tres scriptores, Quintilianus, Plinius, Hieronymus, quamquam singulis solum locis illum commemorant, ne omnes quidem novum aliquid referunt: immo quod Quintilianus narrat, accuratius proditum apud Senecam exstat. Hic vero, licet ea, qua par est in amico, diligentia et amore multa in suasoriis et controversiis contulerit, unde virum, qualis fuerit, cognoscamus, tamen quod pro fine suo rhetorem magis adumbravit, quam hominem, illius perfectissimam conficere possumus imaginem; quae ad vitam pertinent, plurima ignota. Atque haec quis poterat melius suppeditare Suetonio, mira colligente diligentia, quae de illustribus viris potuit comperire? Sed fatum male nobis consuluit: deperdita sunt ab illo de Latrone relata (cf. catalogum deperditorum rhetorum in manuscriptis servatum in Suetonii edit. Wolfiana p. 29), et acquiescendum in unico de morte indicio. Quod qui solus tradidit, Hieronymum hausisse e Suetonii libro usque ad id tempus servato, cum colligi licet ex ipsius in praefatione chronici verbis „A Troja usque ad vigesimum Constantini annum nunc addita, nunc mixta sunt plurima, quae de Tranquillo et ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsimus," tum

maxime comprabatur Marco praenomine; nisi in catalogo modo dicto nusquam exstante.

Inter recentiores scriptores nullus de Latrone accuratius quaesivit. Cujus quidem etsi Bernhardy saepius mentionem facit (cf. hist. litter. Rom. p. 79, 233, 236, 267, 623), neque Westermann de eo silet (cf. hist. eloq. II. 294), aut Meyer (cf. Oratt. Rom. fragm. ed. II. tom. I. p. 539), rhetorem tamen non satis illustrant. Plura composuit Andreas Schottius in libro de claris apud Senecam rhetoribus,*) colligens, quae de multis suae aetatis rhetoribus a Seneca proferuntur, aliosque fontes adjiciens; sed is ut non omnia tradidit**), ita quae conscripsit ordine non digessit, contentus quodammodo, in indice, ut alii paginarum numerum, sic Senecae verba collocasse.

---

§ 2.

De Latronis origine et nomine.

Appellatus est vir, de quo quaerimus, vel uno nomine Latro, (cf. Quintil I. O. IX. 2. 91, Sen. suas. I p. 10, II. 20. contr. I praef. 66, 68, 69, I. 1. 75, 76, 78 etc.), vel duobus Porcius Latro (cf. Plin. h. n. XX. 14. 57. Quint. X. 5. 18, Sen. suas. II. 13, III. 32, contr. I. 1. 69, I. 2. 81, I. 4. 98 etc.), vel inverso ordine Latro Porcius (cf. Sen. contr. I praef. 63, III. 19. 234, IV praef. 266, V. 33, 352), vel addito praenomine Marcus Porcius Latro (cf. Hieron. in Euseb. chronic. Ol. CXCIV et Suet. mas. catalg.). Adscriptus igitur erat genti Porciae. Haec cum plebeia esset ex testimoniis Livii (cf. 39. 40 et 42), et Vellei. Paterc. (cf. II. 128. 2), originem ducens ex Latinis, neque nominata ante finem quinti seculi p. u., inde ab

---

*) Additus est hic liber Senecae editioni Parisinae a. 1607 et 1613.

**) Quomodo indicis integritatem non curaverit Schottius, maxime inde perspicias, quod unum et viginti rhetores prorsus omisit, quos ad nonaginta quinque ab eo compositos Westermann addidit. l. l. p. 298.

hoc tempore tres ejus familiae inclaruerunt: Licini, Laecae, Catones. Quorum nomina quo majore gloria ornata sunt (cf. Sall. Cat. 17. 3, orat. V in Cat. invectivam c. 15, Drumann hist. Rom. V. p. 94 seq.), eo magis desideramus Latronianae familiae vestigium cum in Porciorum tum in alia gente, unde quae ad nostri originem pertinent, eruamus. Appellatur quidem propinquus aliquis Rusticus Porcius (cf. Sen. contr. IV. praef. 216), sed ipse ignoto loco oriundus*) lucis nihil affert.

Latronem autem in Hispania natum esse, a vero propius videtur abesse. Quod etiamsi duo Senecae testimonia alterum contr. IV. praef. 266 modo laudatum, alterum contr. I. praef. 65 „Hispanae consuetudinis morem non poterat dediscere“ singula per se minus evincerent, — dediscere enim possis rem, quam addidiceris non innatam, neque necessitudinis vincula provinciis terminantur, — conjuncta tamen illa et aucta tertio Senecae loco contr. I. praef. 64. „a prima pueritia usque ad ultimum ejus diem perductam familiarem amicitiam cum voluptate maxima repetam,“ dummodo aetatem illam ponas ante annum quintum decimum (cf. § 3.), non solum Hispanum fuisse Latronem, sed etiam Cordubae natum, majorem quam conjecturae faciunt fidem.

Hoc concesso si nihil facilius videtur statui, quam provincialem fuisse Latronem a Porcio aliquo proconsule in civitatem et nominis sui communionem vocatum, obstat, quod homines provinciales ita in gentis Romanae societatem recepti patrium servabant nomen, cognominis loco positum: Hispani vero neque in nostro, neque in propinquo Porcio Rustico ullum est vestigium Videtur is, quantum ex nomine colligi potest, ingenuus fuisse Romanus, colonus Cordubam deductus. Erat enim colonia Romana, prima in Hispania condita anno 154 a. Ch., 600 p. u. a nobilibus plerumque Hispanis, assumptis ex patriciorum ordine Romanis, et hac ipsa de causa Coloniae Patriciae nomine ornata. Quid vero? Num Porcium aliquem credis scholam habuisse rhetoricam? Quamquam enim postremis reipublicae temporibus,

*) Etiam in inscriptionibus nusquam occurrit Latronis nomen; simile Latronii invenitur apud Muratorium p. 1342. 5 et p. 1587. 9.

quae haud multo ante in nullo fuissent honore, tanquam libero viro et Romano indigna, in ea studia jam multi diligenter incumbebant, et ex his viri vel maxime in republica eximii*), doctrinam tamen relinquebant libertinis et hominibus humili loco natis: „turpe erat docere, quod honestum erat discere“ (cf. Sen. contr. II. praef. 134, Bonnell: de mutata sub primis Caesaribus eloquentiae Romanae condicione, inprimis de rhetorum scholis comment. hist. Berolini 1836. 4, p. 14 et 15). Neque recepit magistri munus aliquam auctoritatem, cum Blandus, eques Romanus, nobili loco ortus, et ipse scholam habuisset, sed hic singularis erat inter reliquam libertinorum et provincialium turbam, donec a Vespasiano publici professores constituti sunt. Ad magisterium igitur qui Porcium aliquem, tantae ex majoribus gloriae heredem, descendisse putet, vix quisquam inveniatur. Praeterea, quod Seneca contr. II. praef. 134 a Blando novam quasi artis rhetoricae repetit auctoritatem, cur tandem Porcii aequalis nec minus nobili loco nati exemplum omisisset, cujus praesertim uteretur familiaritate? Alia praetereo, res enim est aperta. Profecto etiamsi Porcios Cordubam migrasse traditum haberemus, Latronem ingenuum eorum gentilem nullo modo putaremus, itaque ne Romanum quidem.

Statuamus ergo hominem provincialem, cujus familia a Porcio aliquo in civitatem et gentis suae nomen ascita esset. Et ex his quidem cum unus M. Porcius Cato Censorius in Hispania versatus sit, anno 559 p. u. 195 a. Ch. consul factus cum L. Valerio Flacco (cf. Liv. 32. 43, Plut. Cato 10) hic nominis auctor videtur fuisse.

Difficultatis autem, quae ex cognomine oritur, tollendae una videtur esse via. Cognomina, quibus primis temporibus sin-

---

*) Declamabat Cicero ad praeturam usque Graece, Latine vero senior (cf. Suet. de clar. rhet. I, Cic. epp. ad Qu. Fr. III. 3. 4, Sen. contr. I. praef. 63), declamabat Cn. Pompejus sub ipsum bellum civile, neque omiserunt eam consuetudinem M. Antonius aut Augustus, cum Mutinensi bello essent occupati (cf. Suet. l. l.). Scholam porro Gniphonis clari viri, in his Cicero praetor frequentaverunt (cf. Suet. l. l. 7) Cestii auditorium intravit Cassius Severus, cum recitaturus esset ille in Milonem (cf. Sen. contr. exc. III p. 399), neque Messallam aut Pollionem jure omittas a Seneca saepius cum aliis rhetoribus compositos.

gulae ejusdem gentis familiae discernebantur, derivata a quibusvis rebus notam alicui afferentibus, etiamsi in posteros non jam quadrarent, rata deinde et in familia tanquam hereditaria erant. Fieri tamen quod non potuit, quin novorum semper occasio occurreret, sive magnum quid aliquis fecerat, sive virtute praestabat, aut vitio, quae inde jam cognomenta ducebantur, ea in honorem*), vel in ludibrium**) singulis viris addita in aequalium ore ita vigebant, ut in multo majore usu essent, quam cetera. Proferimus hanc in rem Theophrastum, cujus verum Tyrtami nomen cui notum est, ignotum alterum a divino loquendi nitore petitum? (cf. Quint. X. 1. 83, Cic. Brut. 35). Similiter fortasse in Latrone factum. Habuit ille quidem primum patrium nomen cognominis loco, sed additum deinde aliud cognomentum, quod significantius diceretur, illius locum obtinuit et tanquam cognomen in familiam transiit. Quo quidem eo facilius Hispanum potuit aboleri, si paucis Cordubensibus Porciorum nomine ornatis ad virum denotandum hoc jam suffecit.

Hoc concesso sola quaestio restat, quid cognomen significet. Duplex est vocis significatio: regii stipatoris prior, sed mox oblitterata (cf. Varro. de ling. lat. VI. 3), altera et vulgaris praedatoris. Sed transiens in homines, qui justitiam evertere et malificia committere non verebantur, ut significabat omnino scelestum hominem ac violentum, sic eum praecipue, qui latronum, instar in rempublicam impetu facto seditionem moveret***).

---

*) Velut Africanus, Numantinus, Censorinus, Cunctator, Maximus.

**) Senecio quidam qui semper cupiebat grandia dicere, quique servos, vasa, calceos, concubinam, omnia voluit grandia habere, nomen inde recepit Grandionis (cf. Sen. suas. II. 19). Notus etiam est T. Atius Labienus, in quem primum excogitata est ea poena, ut omnes ejus libri publice incenderentur (cf. Sen. contr. V. paef. 321). Fuit is atrox imperii adversarius, in quod ut in singulos summa saepe acerbitate et odio invectus ab aequalibns nomen accepit Rabieni (ibid. 320). — Commemorat denique Horat. sat. II. 2. 56 Avidienum, — „cui Canis ex vero dictum cognomen adhaeret," propter sordidum scil. vitae cultum.

***) Sallust in orat. Philippi § 7 Lepidum dixit latronem cum, quamvis consul esset, suo arbitratu, senatu invito, ageret, „privatis armis opprimundae captis li-

Itaque quoniam praedonem vel latrocinantem fuisse virum, qui civitate Romana honoratus in summo loco collocatus esset, vix quisquam crediderit, nihil facilius in homine Hispano, quam recordari Viriathum et Sertorium longum per tempus haud iniquo Marte reipublicae obluctatos. Alterius utrius partes si inter multos alios cives nostri pater vel avus secutus est, socius facinorum, quae perfici solent bello civili, quidni inde retulerit cognomen, ut discerneretur a propinquis, qui pace servata ex agris colendis Rusticorum cognomen recepisse videntur?

---

§ 3.

De anno natali.

Quo tempore Latro ortus sit, quaesituri, Senecae annum natalem antea constituimus a loco exorsi satis late patente contr. I. praef. 63. „Omnes autem magni in eloquentia nominis videor audivisse. Nec Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui hunc totum orbem pervagabatur, intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duo grandes praetextatos ait secum declamare solitos, potui illud ingenium, quod solum populus Romanus par imperio suo habuit, cognoscere.“ Cicerone vivo, i. e. ante annum 711 p. u., 43 a. Ch. Senecam Romam non venisse, ex his verbis profecto apparet. Declamantem autem domi suae Ciceronem num audivisset puer arte rhetorica nondum imbutus? Ingenium ut cognosceret, nonne institutione jam ipse debebat usus esse et aliquantum in ea profecisse? Quae quod intra pueritiae annos duodecimum et quintum decimum fere absolvebatur, Seneca puer fuit, cum Cicero occideret, quattuordecim vel quindecim annorum, certe non natus post annum 696 vel 697 p. u, 57 vel 58 a. Ch.

---

bertatis,“ cf. Cortium ad hunc locum; Viriathum latronem dicunt Florus II. 17. 15 et Eutrop. IV. 16, Hermolaum Alexander, ap. Curtium VIII. 8. 2.

At postquam temporum iniquitatem tanquam causam protulit, quod Ciceronem non audiverit, cur tandem aetatem sibi impedimento fuisse expresse negaret, nisi quin re vera impedimentum fieret, haud multum abfuisset? Itaque ante annum 696 originem ponendam non ratus a Clintonio dissideo in fastis Hellenicis ad Ol. 194, annum 750, ortum Senecae notante anno 693 p. u., 61 a. Ch. Quaerit ille computationis terminum in declamationum tempore, quas Cicero cum duobus grandibus praetextatis, Hirtio et Pansa consulibus, habuerit anno 708 p. u., 46 a. Ch. (cf. Suet. de char. rhet. 1, Cic. ad fam. IX. 16), sed eas Seneca non affert, nisi locum descripturus, quo ut ille ante, sic ipse suo tempore Ciceronem potuisset declamantem audire.

Jam vero quod Latro cum Seneca inde a prima pueritia continua coniunctus erat amicitia (cf. contr. I. praef. 64), porro quod eodem tempore apud eundem magistrum versabatur discipulus (cf. contr. I. praef. 68), hinc nescio an eadem fere eum cum illo aetate fuisse probetur. At accuratius etiam computandi occasionem praebet prima controversia a Latrone declamata apud Marillum, cum esset „admodum juvenis" (cf. contr. I. praef. 69.). Quae juventutis aetas si annos significat fere XVI ad XX (cf. Jul. Caesarem ap Vellei. II. 41. 3 aetatis anno XXIV, Domitianum ap Tac. Agr. 7 anno XVIII, Marcellum ap. Vell. II. 93 anno XVII, Tacitum in dialogo 1. anno XVII hoc nomine probatos), Latronem tum septendecim fere annos natum fuisse, consentaneum. Docuit vero Marillus Romae, id quod propter crebram ejus mentionem in suasoriis et controversiis inter eos, qui Romae rhetores florebant, apertum est. Ideo ubi anno post Ciceronem occisum Romam censemus Senecam profectum, juvenem XV vel XVI annorum, restituta post pugnam Philippicam civitate propemodum ad quietem, et versatum aliquod per tempus in. Marilli schola, priusquam controversias aggrederetur (cf. § 4), ut Latro eodem fere, quo Seneca, anno ortus sit, sequitur. Quapropter equidem ei tribuo annum 696 vel 697 p. u., 58 vel 57 a. Ch., natalem, neque recte Meyerum puto (oratt. Rom. fragm. CXVI. tom I. p. 539) ejus ortum ponere anno 693 p. u., 61 a Ch.

§ 4.

De Latronis juventute.

De Latronis juventute nihil fere cognoscimus, nisi quod cum Seneca familiarissima et vitae et studiorum societate vixit Cordubae, ut § 2 probavimus. Educatio et litterarum institutio certe eae fuerunt, quales illis temporibus omnibus haud infimo loco oriundis dabantur (cf. Bernhardy p. 17 seq): adiit primum grammatici scholam, tum ad rhetorem ascendit. Qua in re si Seneca et suum et Latronis praeceptorem unicum nominat Romanum Marillum, de Cordubensi altum tenet silentium, inde qui artem rhetoricam eos contenderit Romae demum ab elementis didicisse apud Marillum, inter veram et falsam opinionem mediam quandam tenuerit viam. Nam Hispania quamquam viis et itineribus pervia facta erat jam inde a composito bello Punico secundo, institutio et in graeca et in latina lingua Sertorio auctore primum recepta est (cf. Plut. Sertor. 14, Bernhardy p. 71,) ut, licet Baetica Strabonis aetate miro modo in ea profecerit, (cf. Strabo III. 151. Artemidorus ap. Const. de adm. imp. γραμματικῇ δὲ χρῶνται τῇ τῶν Ἰταλῶν οἱ παρὰ θάλατταν οἰκοῦντες τῶν Ἰβήρων) iam Seneca adolescente, quae Romae vix auctoritatem firmassent, scholas rhetoricas ibi etiam floruisse, haud ita credibile sit, ubi praesertim ad publicam actionem praeparatio non posset spectari. Sed quemadmodum Romae veteres grammatici etiam rhetoricam docebant, ac posteriores, quamvis discretis jam professionibus nihilominus vel retinuerunt, vel instituerunt quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrases elocutionem, ethologias atque alia hoc genus, ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur (cf. Suet. de ill. gramm. 4, Quint. II. 1—3), sic etiam in Hispania grammatici suae artis fines fortasse excedebant rhetorum partibus quodammodo susceptis. Inde factum est, ut pueri dulcedine studii rhetorici cognita Romam deduci cuperent, ubi optimis illis artibus, quarum in provinciis parva esset opportunitas, diligentius et ex ordine quodam ac regula imbuerentur.

Propterea Senecae verba contr. I. praef. 60. „Ab his, qui ad audiendum praeceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo usque ad primum recitabam“, quae non possunt, nisi in grammatici scholam referri, Cordubensem spectare scholam contendo; inde Romam est deductus, serius quidem, quam pueri solebant deduci, propter bella civilia circa aetatis annum XV vel XVI. Atque Latroni, siquidem Cordubensis erat, cum eadem obstaret causa, quominus prius relinqueret provinciam, cumque ejus cum Seneca sodalitatem in tempus interruptam fuisse, nusquam reperiatur indicium, Romam fortasse una profecti sunt. Quam in sententiam asciscimus etiam extrema praef. libr. I. verba „quam primam admodum juvenem in Marilli schola Latronem meum declamasse memini.“ Vigente enim in rhetorum scholis eo usu, ut tirones declamarent suasorias, controversias jam aliquantum progressi (cf. Westermann. II. 84, 267, Quint. II. 4, Tac. dial. 35, Suet. de clar. rhet. 1. Kramer hist. educat. p. 144), qui hanc primam dixit XVII annos natus (cf. § 3), non potest institutionis initium multum ante XVI annum cepisse, qua aetate Seneca Romam adiit. At prima apud Marillum dicta controversia num forte intelligenda est, ut qua in hac schola Latro inceperit declamationes, postquam apud alium magistrum jam antea declamaverit? Minime. Hunc, si fuisset, Seneca vix silentio praeteriisset, solitus virorum illustrium omnes, quibus usi erant, magistros proferre velut Papirii Fabiani contr. II. praef. p. 139; Ovidii contr. II. 10. 159. Quem vero Volaterranus comment. urban. p 597 Latronis dicit praeceptorem, M a x i m u m, ejus nomen, quod nusquam testimonium exstat, errore irrepsisse pro Marillo Schottius non sine veritatis specie videtur suspicari cf. de cl. rhet. p. 26.

Ceterum in Marilli schola ita profecit Latro, ut cum primam diceret controversiam, jam diem ducere coepisset (cf. contr. I. praef. 69).

---

§ 5.

De Marillo praeceptore.

De Marillo pauca exponere hoc loco non fuerit alienum. Cognovimus eum e solo Seneca, qui, cum pro consilio suo declamandi magis rationem, quam vitam rhetorum spectaret, perpauca tantum de eo tradidit. Ipsum nomen quod fuerit, incertum est. Ejus enim non solum diversi libri variam scripturam praebent, sed idem codex tantopere mutat nominis formam, ut quae vera sit, nisi ex diligentissima optimorum librorum comparatione non possit discerni. Hanc instituendi occasio postquam mihi facta est dilectissimi praeceptoris Haasii beneficio, ex duorum librorum Bruxellensis et Antwerpensis haud dubie antiquissimorum accuratissime facta collatione,*) Marillum esse nomen, non quod in plerisque editionibus legitur, Marillium, apparet.

Alia viri nomina ignoramus, neque quisquam fuerit, qui quod suas. VI p. 33 exstat Cyri Marilli Esernici nomen, errorem non putet pro Claudii Marcelli Aesernini nomine, ubi in codicum scriptura (A. C϶P Marvlli Aesernini, B. CL. Marvlli Aesernini) Claudii vestigia aperta viderit, alterum nomen suis litteris perscriptum. Etiam de vita frustra quaesiveris aliquid comperire, excepta nota, quae est in indice editionis Parisinae a. 1607, iterum impresso in ed. Schultingii Amstelodami 1672: „Marillius venefici damnatus Massiliae docuit" cf. contr. XIII p. 180. Inspicias autem velim, qualis sit loci illius plane corrupti species in codicibus, quam audaces editorum emendationes,*) et videbis, quan-

---

*) Marilli A B p. 23, 82, 99, 118, 127, 243, 311, A. p. 74, 161, B p. 5 (Mirilli aperto errore praebet A); Marvlli A B p. 33, 219, 14, 161, B p. 95, 74 Marvli; Marulli A B p. 152, 340, Marillus A B p. 33, 77, 89, 98, A 221, Marvllus B p. 221, Marilius A B p. 154 Marullus A B p. 171.

*) Novi declamatores (...ori A) Posmos cum Apollodoro (....dorum A B) legunt codd. Bruxell., Covarruv. et Froben, post nos codd. August. et Antwerp., pos Hervag et in margine „fortasse Posidonium": — Caelius ait Posidonium esse reponendum, Schottius mavult plurimos, Gronovius legit Pammenes, Schultingius Potamon.

tum illi loco tribuendum sit. Certe Marillum ibi exstitisse, ne levissimum quidem vestigium est. Itaque id unum certo scimus, Romae scholam habuisse Marillum (cf. § 3.), quam Latro adiret et Seneca (cf. contr. I praef. 68). Qui si „praeceptorem nostrum" eum vocat (cf. contr. II. 10. 154, III. 17. 221), Latronem quidem non potest simul spectare, ubi in antecedentibus non appellavit, neque „nostrum" hoc loco pro „meo" dixit is, qui de se semper singulari numero dicat, sed aequales Senecae multos et studiorum socios Marillum frequentasse inde videtur effici.

Neque tamen mediocritatem transgressus est homo „satis aridus, paucissima belle, sed non vulgato genere dicens" (cf. contr. I. praef. 68), quamvis jactatione abundaret, et arrogantia. Oratio enim quam exilis esset, non inscius eam tamen non sibi imputabat, sed controversiis, quas dicebat, adeo, ut Latro hoc suum vitium excusare conatum propter inopiam et ieiunitatem audacter aliquando perstringeret*) (cf. ibidem). Protulit vero interdum sententias perbonas, velut illam, quam Latro solebat mirari, vel etiam, ut ipse ait, exosculari (cont. I. 2. 89); alia laudatur contr. II. 12. 171 ut decenter, alia contr. II. 10, 154 ut licenter quidem dicta, sed sensum satis exprimens. Ceteris locis ejus sententiae solum et colores afferuntur, illae suas. I. 5, II. 14, III. 23 contr. I. 1. 74, I. 2. 82, I. 3. 95, I. 4. 99, I. 7. 118. 127, II. 10. 152, II. 11. 161, III. 17. 219, III. 21. 215, IV. 29. 311, V. 32. 340, hi contr. I. 13. 177, I. 3. 98, III. 17. 221.

---

§ 6.

De Latronis schola et discipulis.

Revertamur ad Latronem, qui in Marilli schola institutione imbutus rhetorica jam ipse magisterio subeundo ope-

*) Locus hic est: Cum discipuli essemus apud Marillum rhetorem, hominem satis aridum, paucissima belle, sed non vulgato genere dicentem: cum ille exili-

ram navabat. Vario autem nomine cum eum commemorent singuli scriptores, — Quintilianus professorem eum appellat, Plinius dicendi magistrum, Seneca declamatoriae artis unicum exemplum, Hieronymus latinum declamatorem,*) — notionum discrimen quaerendum est. Quo in studio Seneca vix utaris auctore. Commemorat is oratores, rhetores, declamatores, scholasticos, sed ita, ut oratorem quidem ceteris generibus opponat (cf. contr. II. 11. 163, III. 16. 211, V praef. p. 323, exc. contr. III praef. 197 seq.), haec ipsa certis finibus non discernat. Quem ad modum enim eosdem viros mox rhetores dicit, mox declamatores (cf. contr. III. 16. 211, IV. 29. 213, I. 1. 75, I. 4. 100, II. 13. 180, III. 16. 211), ita non differre ab his scholasticos, praeter locos, quales sunt suas. VI. 37, VII. 45, 51 contr. I. 6. 113, 7. 122, II. 11. 163, III. praef. 199, III. 20. 240, V. praef. 323, IV. praef. 414, ostendunt coniunctae scholasticorum declamatorum notiones (cf. suas. VI. 37, contr. IV praef. 267), scholastica studia (contr. V. praef. 318) atque ipsa vox scholastica idem valens, quod declamatio (contr. I. praef. 63, II. 11. 163, III. praef. 201, IV. 28. 305, V. 34. 359, IV praef. 415). Quamquam scholastici etiam ii vocantur, qui in schola alicujus rhetoris versantur vel discipuli, vel auditores cf. contr. II. 10. 155, II. 11. 165, III. 19. 234, III. praef. 399.

Accuratius videtur notiones disjunxisse Quintilianus declamatori opponens rhetorem, professori doctorem ita, ut declamator et professor oratori similes ostendant (cf. X. 1. 15), rhetor et doctor praecipiant dicendi artem (cf. Bonnell l. l. p. 14, Lexic. Quintil. p. 203, 258, 702, 789. Suet. de clar. rhet. 1). Atque adeo uterque suo munere fungebatur, ut multi professores doctrinam prorsus ignorarent, in dicendo ejus leges tanquam inscii sequerentur cf. Quint. II. 11, 1. Verum non constat sibi Quinti-

---

tatem orationis suae imputaret controversiae, et diceret: „Necesse est, me per spinosum locum ambulantem suspensos pedes habere“ ajebat Latro: „Non mehercules tui pedes spinas calcant, sed habent.“ Et statim ipse dicebat sententias, quae interponi argumentis cummaxime declamantis Marilli possent.

*) Quintil X. 5. 18, Plin. n. h. XX. 14. 57, Sen. contr IV. praef. 266. Hieron. in Euseb. chron. Ol. 194, 1.

lianus omisso discrimine multis locis promiscue vocibus usus, quandoquidem Albutium II. 15. 36 non obscurum dicit professorem (cf. Suet. de clar. rhet. VI) et XII. 11. 20 geometras, grammaticos ceterarumque artium professores, qui certe doctrinam tradebant. Ipse a Vespasiano primus professor eloquentiae est nuncupatus, quod nomen deinde ad omnes praeceptores publicos transiit.

Qua de re Latronem non tam praeceptorem fuisse eloquentiae, quam ostentatorem Quintiliani et Hieronymi loci non satis demonstrarent, nisi confirmaretur etiam Senecae loco contr. IV. 25. 283, quo docendi ratione singularis inter rhetores Latinos dicitur. Nam cum in ceteris scholis discipuli ad praeceptoris institutionem disputando etiam exercerentur et declamando (cf. Quintil. II. 5. 16, Roeder de schol. institut. Rom. p. 50), Latro exemplum, non magistrum se professus, ipse solus declamabat, discipulos nunquam audiebat. Conflabat igitur, ceterorum rhetorum invidiam et irrisionem, sed quod contumeliae causa discipulis Latronis additum erat auditorum nomen, mox in usu esse coepit, quique antea discipuli vocabantur, jam auditores appellati sunt. — Si vero operam et patientiam suam vendere noluit in audiendis discipulorum declamationibus, certe et rhetorices elementa aliis permisit docenda: ipse institutione scholastica jam imbutos suo exemplo voluit exercere, non conformare. Ideo Plinius in magistri nomine rhetorem non cogitavit, sed genus significavit, cujus tamquam species declamator erat.

Scholam autem Latronem aperuisse juvenilem aetatem nondum transgressum, argumento est, quod Seneca Ovidium in ejus discipulis enumerat. Is in juventute bonus declamator Latronisque frequentissimus auditor, cujus multas, quas admirabatur, sententias in versus suos transtulit (cf. Sen. contr. II. 10. 154, exc. contr. II. 2. 387), non longum per tempus declamatoriis studiis vacabat, sed taedio captus curiae (cf. trist. IV. 10. 30) undeviginti annorum adolescens ad poesin transfugit. Neque rediisse eum ad desertas partes, prodere videntur Senecae verba „Tunc cum studeret habebatur bonus declamator“ (cf. contr. II. 10. 155.). Idem quod Arellii Fusci dicitur discipulus, apud eum prima usus

videtur institutione; inde ad Latronem ante aetatis annum XV vix transierit. Itaque si aliquot annis ante haec Ovidii studia Latronem docere coepisse, consentaneum est, cum ortus ille sit anno 711 p. u., 43 a. Ch., cathedram obtinuit circiter XXVI annorum juvenis.

Auditores vero praeter Ovidium tres alios Seneca nominat, Florum (contr. IV. 25. 283), Fulvium Sparsum (contr. V. praef. 322), Abronum Silonem (suas. II. 20), omnes praeceptore multo inferiores, nec nisi ex Senecae libro notos. Ex quibus Florus rhetor fuisse videtur ignotus et nullius fere auctoritatis. Cujus ut obscuritatem Seneca notat addito „quidam“ pronomine, sic sententias non commemorat praeter unam, vehementer in ea cum mollem compositionem, tum incredibiles figuras reprehendens, ac quantum a Latronis usu discesserit, demonstrans. Hic quidem Florus in Forcellinii lexico cum Julio Floro Galliarum eloquentiae principe a Quintil. (X. 3. 13) citato, miro errore confusus est. Nam cum Quintilianus ortus a. 42. p. Ch. institutiones oratorias scripserit a. 92 p. Ch. quinquagenarius (cf. Westermann II. § 80, Baehr hist. litt. Lat. p. 264 et 65), quem sibi aequalem dicat Julium Secundum et amicum familiariter amatum, natu multo majorem non fuisse, facile apparet. Ponamus igitur Julium Florum patruum Secundi XL annis majorem, anno, quo ortus est, cum Latronis supremo in idem fere tempus incidente, num potuit hujus esse auditor, additis etiam vel patrui, vel patruelis aetati decem annis?

Fulvium Sparsum scholam habuisse communem cum alio quodam rhetore, unum de ejus vita comperimus contr. V. praef. 322. Imitatus est, ut omnes fere Latronis discipuli praeceptorem; sed quemadmodum nunquam par fit imitator auctori, semper citra veritatem similitudo est (cf. Sen. contr. I. praef. 61), Latronem adeo non assecutus est, ut multam in se provocaret cavillationem, similem illius eum esse, si eadem diceret.*) cf. contr. V. 34, 364. Accipiebat ille quidem La-

*) Multo vero acerbius est illud Osci rhetoris operam perditam maligne perstringentis: Tu potes controversiam intelligere, qui non intelligis, te laterem lavare? cf. Sen. contr. V. praef. 322.

tronis sententias, verba ponebat e suo, in iis valenter quidem agens, ut ille, sed dure (cf. contr. V. praef. 322). Ceterum in declamatione nisi abstinuisset nimia licentia, vitae et usus autem fuisset tam imperitus, ut ad scholae regulas omnia vellet dirigere, vix a Seneca contr. I. 7. 122*,) exc. I. 7. 382 homo inter scholasticos sanus, inter sanos scholasticus esset appellatus. Citantur ejus sententiae multae: contr. I. 31. 81, I. 3. 94, I. 4. 99, II. 13. 179, III. 17. 217, III. 19. 230, III. 21. 342, IV. 24. 271, IV. 25. 277, IV. 26. 287, IV. 27. 293, IV. 28. 303, IV. 29. 309, V. 30. 327, V. 31. 333, V. 32. 340, V. 33. 347, V. 33. 350, V. 34. 357.

Denique Latronis auditor nominatur Albronus Silo, pater ejus Silonis, qui pantomimis fabulas scripsit (cf. Bernhardy p. 349). Is et ipse carmina fecit, eaque publice recitavit; sed de ingenio, nisi quod Latronis sententiis utebatur, nihil habemus compertum. Epicis carminibus operam eum navasse, ex duobus versibus colligi licet, qui exstant ap. Sen. suas. II. 20:

Ite, agite, o Danai, magnum paeana canentes,
Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.

Obiit Ol. 194 cf. Forcellinii Lexic. s. v.

---

*) Omnibus libris consentientibus in lectione „sanum inter scholasticos“ excerpta habent „insanum inter schol.“, ad quam scripturam alia etiam a Schottio notata discrepantia accedit: inter insanos] Melius fort. libri duo „inter sanos.“ Non exstant exc. in A et B codicibus, quare propter ceterorum non accuratam collationem res ab hac parte confici nequit. Schultingius epitomes lectionem utroque loco censet recipiendam, quasi Seneca inter scholasticos seu declamatores nimis tumide dixisse voluerit Sparsum, contra ad majestatem oratorum eorumque, qui veram dicendi viam tenuerint, assurgere non potuisse. Quae sententia mihi non probatur. Sanus enim erat, id quod deinde demonstrabimus, inter scholasticos Latro, quem si Sparsus anxie, quamvis frustra, secutus est, nonne et ejus declamandi rationem erit imitatus? Quid? Qui tumida oratione a Latrone recederet, Florum Seneca tanta perstrinxit acerbitate, Sparso idem peccanti condonavit, immo laudavit, ut valenter dicentem? Sparsum igitur ad exemplum praeceptoris in declamando nimia abstinuisse licentia ratus, ita ut etiam ariditatem committeret et duritiem, non dubito, quin utroque loco „sanum“ legam.

§ 7.

De reliqua Latronis vita.

De reliqua Latronis vita nihil fere cognovimus. Quieto cursu eam peragebat in scholae umbra et studiorum secreto, unde interdum animum relaxaturus in finitimos montes et silvas evolabat cf. Sen. contr. I. praef. 64. Sed majora etiam itinera num susceperit, nisi quod aliquando in Hispaniam eum profectum esse, certum est, nescimus cf. contr IV praef. 266.

At quamvis a vita publica esset abalienatus, potentissimi illis temporibus viri, Vipsanii Agrippae, sibi contulit iram. In litterarum enim studiis cum imperatores praesidium viderent imperii, avertens hominum animos a republica, nihil antiquius habebant, quam ut quoquomodo ea juvarent. Ideo non solum ipsi iis vacabant, exemplo suo ceteros adhortati, sed aliis etiam favebant laudibus et honoribus augentes, adjuti ea in re, qui opportunissime iis obtigit illis temporibus, recitationum more. Iis multis interfuerunt, descendebant in auditoria et scholas, neque invitare domum suam recitaturos repudiabant. Hoc modo etiam Augustus, qui teste Suetonio Aug. 89 „recitantes et benigne et patienter audiit, nec tantum carmina et historias, sed et orationes et dialogos,“ una cum Agrippa ejusque filiis et Maecenate Latronis declamationi interfuit, cum controversiam diceret de nepote hoc proposito themate: „A b d i c a v i t q u i d a m f i l i u m. a b d u c a t u s s e c o n t u l i t a d m e r e t r i c e m: e x e a s u s t u l i t f i l i u m. a e g e r a d p a t r e m m i s i t. c u m v e n i s s e t, c o m m e n d a v i t e i f i l i u m s u u m e t d e c e s s i t. a d o p t a v i t p u e r u m. a b a l t e r o f i l i o a c c u s a t u r d e m e n t i a e.“ Atque in hac quidem declamatione Agrippam offendit. Locus vero apud Sen. contr. II. 12. 170 ita corruptus est, ut quomodo res evenerit, haud facile certo possis eruere.

Legitur sic in editione Bipontina: In hac controversia Latro contrariam rem controversiae dixit, sed sibi. Declamabat illam Caesare Augusto audiente[1]) et[2]) Agrippa,[3]) cujus filios, nepotes suos, Caesar Lucium et Cajum[4]) adoptaturus[5])

diebus[6]) illis videbatur. Erat Agrippa[7]) inter[8]) eos, qui non nati sunt nobiles, sed[9]) facti[10]). Cum diceret[11]) partem adulescentis Latro et tractaret adoptionis[12]) locum, dixit: Multi[13]) ad imperia adoptione[14]) nobilitati fuerunt[15]). haec[16]) et[17]) alia in hanc[18]) sententiam[19]). Maecenas innuit patri[20]) fascina recusare[21]). finire[22]) jam quidam declamationem putabant[23]). hanc malignam rem [Maecenas[24])] esse: effecisse enim nobilem[25]), non ut[26]) audiret, quae dicta erant a[27]) Caesare[28]), sed ut notaret. Mirum quantum ab hac scriptura optimi codices A et B discedunt, quorum accuratissimam collationem subjiciam.

1) audientem A. B. 2) et om. A. B. 3) mac. Aprippam A. B. 4) Gajum A. B. 5) adobtaturus A. 6) dieb B. 7) mac. Agr. A. m. Agr. B. 8) in A. B. 9) set B. 10) factus A. B. 11) dicere A. B. 12) adobtionis A. 13) nam isti ex A. jam isti ex B. 14) adobtionem A. B. 15) ferunt A. fer B. 16) in hanc A. B. 17) et om. A. B. 18) hunc B. 19) summa A. B. 20) patro A. B. 21) recusarem A. B. 22) finiret A. B. 23) declamationem quidam A. B. 24) Maecenatis A. B. 25) nibilum A. B. 26) ne A. B. 27) a om. A. B. 28) Caesar A. B.

Collatis his lectionis speciminibus neutrum sanum praebere sensum apparet, ad quem restituendum vereor ne non sufficiant mihi vires. Neque vero emendationem volui proferre, quae ab omni parte veritatem sibi vindicaret, studui tantum falsis, ut mihi videntur, et admodum arbitrariis Gronovii et Schultingii emendationibus rectiorem substituere, quae, quantum fieri posset, codicum niteretur auctoritate.

Ad nostrum vero finem maxime de posteriore loci parte agitur, incipiente a verbis „Maecenas innuit" et sq., priorem paucis absolvisse sufficit. Et quidem in prima enuntiatione ut „non" negatio quin sit interponenda post verbum „rem" et retinenda in sequentibus codicis B. scriptura „jam isti," non est quod dubitemus, sic Agrippae etiam Marcum praenomen recte praeponemus, syllaba mac satis in codicibus significatam*). Pari modo cum recipi ex iis velim vocem „sum-

*) Retinerem etiam „factus" scripturam, si in Tacito versarer, vel simili sermonis inaequabilis amatore; in Seneca Ciceronis premente vestigia offendit.

mam" pro lectione „ex imperia" summa fiducia repono „ex imperatoria" ac „ferunt" muto in „erunt." Difficilior res est in posteriore parte tam desperata, ut a multis editoribus intacta relinqueretur. Quas vero proposuerunt emendationes Gronovius et Schultingius quam parum sufficiant, facile demonstrari potest. Ille enim nixus controversiae fine „Latro dignus fuit miseratione, qui ne excusare quidem errorem suum potuit. Nihil est autem crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satisfeceris," Latronem putat improvidum in Caesaris nepotes dictum jecisse, idque cum postea satisfaciens deprecaretur, pejus fecisse, offensionem reddentem graviorem. Inde enim factum, ut quae verba multi non animadversa praetermisissent, memoria repeterent, et jam intellecta sermonibus different. Quapropter locum scribi vult ita: „Maecenas innuit Latroni, satisfactionem pararet. Finita jam declamatione satisfecit Latro. Hanc quidem malignam monitionem Maecenatis esse: effecisse enim rem nobilem, non ut deleret, quae dicta erant in Caesares, sed ut notaret" cf. Edit. Schultingii p. 195. Quam emendationem, quod arbitrio debetur nullo modo ferendo, non opus fuerit refellere. Quandoquidem vero propter nimiam loci corruptelam aequo majorem vindicare sibi possit aliquis licentiam, vide, quam inepte Seneca sententias collocasset, si haec emendatio genuinum restitueret textum. Prorsus enim ad aliam abit ea quae incipit verbis „tanta autem seq." sententia, ut per se videantur constare, quae antecedunt. Ex illis autem quis quaeso potuerit suspicari, Latroni malum accidisse, si satisfecit? Nonne tum omnia in meliorem partem erant reducta? Quomodo igitur deinde misericordia dicitur dignus, quod non potuerit excusare, i. e. non satisfacere? Videtur hoc argumentum tam grave, ut quae addi possunt leviora missa facere liceat. Id vero cum simul appareat, si recte locus emendetur, infortunii aliquam significationem jam prius desiderari, etiam Schultingii opinio locum non potest obtinere. Hic in notis p. 174 ita emendat: „Maecenas innuit patri: is fascinum recusare. Et finierat jam quidem declamationem. Putabat autem haec

malignam rem Maecenas esse, effecisse enim nobilitatem, non ut laudaret, quae data erant a Caesare, sed ut notaret." Finxit enim Agrippam, cum ista, quae offenderunt, dicere coepisset Latro, alibi occupatum habuisse animum, ut innuente Maecenate spatium absolvendi Latroni daretur: itaque ubi interpellasset Agrippa, declamationem jam ad finem pervenisse. Qua in emendatione primum vide, quomodo is possit interpellari, qui orationem jam finierit! Deinde idem, quod in priore desidero: videtur enim et sic res composita. Fascinum recusans Agrippa significavit, se non accipere, quae dicta essent; quid amplius opus est? Neque de ejus interpellatione neque de Latronis perturbatione verbum dictum est; mirae ergo, quae postea obveniant sententiae. Atque non modo non apta est sententia illa „et jam finierat declamationem", immo molestissima, quia quid ad rem faciat, nullo modo apparet. Nam finita declamatione nonne potuit Latro ea quae dixerat ita interpretari, ut offensam tolleret?

Hocmodo et Gronovii et Schultingii emendationes collabuntur, quibus priusquam aliam substituamus, sensum videamus loci. Atque is quidem hic mihi videtur: Protulerat Latro in adoptatis exempli loco Agrippae filios, quos paucis diebus post Augustus voluit adoptare, honorem eo se tribuere arbitratus et illis et Augusto: illis scilicet, ut quos imperator dignos haberet adoptione, huic, ut qui virum de se maxime meritum praemio ornaret. Hoc exemplum quamvis per se nullo modo invidum vel odiosum, suspicioso tamen alicui compositum poterat videri, ut tangeret, id quod illo tempore non inauditum erat, Agrippae ignobilitatem, ignobili scilicet loco nati et hac solum imperatoria adoptione nobilitati cf. p. 173 „Tanta sub divo Augusto libertas fuit, ut praepotenti tunc M. Agrippae non defuerint, qni ignobilitatem exprobrarent." Quod tamquam jocans Maecenas innuit Agrippae, eumque fascina jussit recusare. Inde quae secuta sint, in verbis latent „finire jam declamationem." Haec quidem, ut taceam de grammatica relatione, quae nulla est, quamquam per se intelligi possunt, tamen quomodo evenerint, desideratur ratio, ad quam cognoscendam redeundum videtur ad sen-

tentiam „Latro dignus fuit miseratione, qui ne excusare quidem errorem suum potuit“ p. 174. Haec enim ipsa ablegat ad ea, quae illo loco narranda erant. Senecam autem postquam liberam sub divo Augusto dicendi facultatem laudavit (cf. p. 174. Ea in parte ubique mihi videtur admiratione dignus divus Augustus, sub quo tantum licuit), sequenti sententia „Sed horum non possum misereri, qui tanti putant, caput potius quam dictum perdere“ suam tangere, qua scribat Tiberio regnante, aetatem, quis non videt? Qua quamquam atrox et in potentes jactum verbum supplicium ascivit gravissimum, nihilominus fuerunt haud ignobiles viri, stoicae praesertim studiosi philosophiae, qui subire mallent supplicium, quam linguam coercere. His quod Latronem Seneca opponit, contrarium certe is egit. Itaque illis consulto principes impugnantibus, iisque, quae conviciati erant, audacter insistentibus, Latro lacessebat quidem et ipse Agrippam, sed errore consiliique nullo modo sibi conscius. Atque in convicio, cum objiceretur, non solum noluit perseverare, sed ita omni carebat audacia, ut mente captus, quamvis vellet, ne verba quidem haberet, quibus errorem excusaret. Miseratione igitur illi indigni erant, Latro vel dignissimus. Haec si recte disputata sunt, apparet etiam, cur declamationem Latro finierit, quippe quod adeo confusus esset, ut vocis omnino non compos, etiam in declamando pergere non posset. Qua de re quoniam haec, ut intelligeretur locus, ad quem rediimus, necessario antea erant enarranda, „finiret“ conjunctivum, qui legitur in A et B codicibus, equidem genuinum puto et finalis apodoseos loco recipiendum, cujus excidit protasis ita supplenda, ut in ea magna Latronis perturbatio commemoretur. „Putabant“ autem vox fieri non potest quin ad sequentem sententiam referatur, inducentem auditorum de Maecenatis monitione judicium, quam fudisse eum putabant non ut attentum redderet Caesarem in laudem ipsi tributam, sed maligne notam Latroni injecturum.

Itaque praeter eas scripturae differentias, quae multae librariorum et negligentia et scribendi consuetudine admissae sunt, codicum A et B auctoritatem secutus locum sic repono: Declamabat illam Caesare Augusto audiente et M.

Agrippa, cujus filios, nepotes suos, Caesar Lucium et Cajum adoptaturus diebus illis videbatur. Erat M. Agrippa inter eos, qui non nati sunt nobiles, sed facti. Cum diceret partem adolescentis Latro et tractaret adoptionis locum, dixit: Jam isti ex imperatoria adoptione nobilitati erunt. Haec et alia in hanc summam. Maecenas innuit patri, fascina recusare *: finiret jam declamationem. Quidam putabant hanc malignam rem Maecenatis esse: effecisse enim nobilem rem*), non ut audiret, quae dicta erant, Caesar, sed ut notaret.

Hoc modo si Latro non satisfecit, ultimam controversiae sententiam „Nihil autem crudelius, quam sic offendere, ut magis sis offensurus, si satisfeceris" falso Gronovius putat Senecae de Latronianae calamitatis magnitudine esse judicium; contra „autem" particula nova inducitur sententia, Latronis infortunio aliud gravius etiam opponens. Is dignus erat miseratione, qui ipsa sua offensione tantopere perturbatus est, ut ne ad excusationem quidem verba posset proferre; dignior autem videtur, qui cum excusare se et satisfacere studeat, eo ipso quo restituere sese credat, rem pejorem reddat. Quam sententiam aut adjunxisse fortuito obversantem contentus fuit Seneca, aut virum jam propositurus, de quo graviore hoc modo actum erat, ad eum sententia illa transitum sibi parabat. Alterum si ponis, excidit finis controversiae eodem modo, quo libri IV praefationis et controversiarum XIX et XXXV fines deleti sunt.

Ceterum quam facile Latro perturbari potuerit, demonstrat hujus similis historiola cf. Senec. contr. IV praef. 266, Quintil. X. 5. 18. Susceperat pro propinquo Rustico Porcio, cum in Hispania reus esset, causam is, qui nusquam antea oratoris munere functus esset. Itaque ubi in medium prodiit et sub divo collocatus fori strepitu undique circumdatus est, adeo novus hic status eum cepit, ut non solum, quamvis

---

*) „Rem" excidisse videtur propter ὁμοιοτέλευτον. An mutanda fuerit „nibilum" vox, quae in codicibus est, in „sibilum?"

puro sermoni studeret, a soloecismo exorietur, sed etiam animum non prius colligeret, quam judicio ex foro in basilicam translato intra parietes tanquam in schola orationem ad exitum posset perducere.

Hoc jam tempore, quo ante Augustum declamabat, si maxime floruisse Latronem statuimus, cum declamatio habita dicatur paulo ante Lucii et Caji per Augustum adoptionem, factam anno 737. p. u., 17 a. Ch. (cf. Hieron. in Euseb. chron. Ol. 190. 4 et Dio Cass. 54. 18), tunc annos habuit circiter XL. Inciderintne ei praeter animi angustias, quibus illo ipso tempore turbabatur, hoc ex infortunio ab Agrippa molestiae, non habemus compertum; Augustus certe non vindicavit.

Vixit post hoc tempus non plus quatuordecim annos, valetudine ita in postrema aetate labefacta, ut cum duplici quartana correptus esset, vitae taedio semet interficeret anno 750 p. u., 4 a. Ch. cf. Hieron. in Euseb. chron. Ol. 194. 1.

---

§ 8.

De Latronis moribus.

Pauca quidem de moribus comperimus, sed virum inde cognoscas, qui nulla in re modum sciret tenere. Per totam vitam aut in studiis evagabatur, aut in otio: illis quando vacabat, incumbebat in eas non modo a vita publica prorsus abalienatus, sed etiam in vitae cultu contra naturam ineptissimo modo saeviens. Quid? quod toto die in studiorum secreto peracto, non contentus nocte etiam pari modo sibi instare, eo pro cessit pravitatis, ut ne tantum quidem temporis sibi concederet, quantum cibis aequaliter digerendis opus esset? Immo statim ex coena lucubrabat et pervigilata nocte ab ipso cibo ad declamandum perveniebat cf. Sen. contr. I praef. 66. Contra vero cum mira hac qua perversam peregit vitam pertinacia effecisset, ut quod regi non posset studium prohiberi deberet, et corpore nunquam intermissa contentione confecto cum ingenio ac corporis lassitudine relaxationis sentiret ne-

cessitatem in ea, si quando se dimiserat, praeceps auferebatur, tradebat se montibus et silvis, conterebat dies venando et equitando, in omnes lusus jocosque resolutus, summos labores ea ferebat constantia, qua provocaret qui in laboribus tanquam adoleverant (cf. contr. I. praef. 64). Quin adeo adamabat hanc vitae consuetudinem, ut ad priora studia non posset redire nisi manu injecta et blandimentis. Vixit itaque, utcumque res tulit. Quod si Hispani est natura (cf. Senec. contr. I. praef. 65), eam Latro maxime prae se ferebat.

---

§ 9.

De declamandi ratione.

Declamabat Latro maxime quidem in schola sua; saepe vero quod a Seneca inducitur vel impugnatus ab aliis (cf. contr. I. 76, II. 13. 181, II. 10. 153, III. 23. 263, exc. contr. IV. 6. 424, contr. V. praef. 324) vel ipse in alios impetum faciens (cf. I. 1. 178, I. 6. 113; II. 10 153, II. 11 162; I. 6. 114; I. 8. 130; II. 14. 188; II. 14. 189, III. 23. 264, IV. 28 305; I. 7. 119), etiamsi fieri solebat, ut rhetores in scholis suis reprehenderent aliorum in tractanda declamatione rationem, tamen multo rectius moris recordabimur, quo saepe cum aliis prodierunt in certamina aut in rhetoris alicujus schola aut ante virum studiis illis oblectatum. His certe Seneca multis interfuit; videntur etiam uberrimus fons in conscribendo libro fuisse cf. Westerm. II. 81. 268. Atque in his Latronem quoque certasse si certis eget testimoniis, vides contr. II. 13. 182 ex Buteonis, contr. III. 23. 264 ex Silonis cum eo altercationibus. Sed artem nobiliorem ratus, quam quae soli ludibrio esset, quamvis alia forte oblata occasione ex tempore declamare non recusaret, in conviviis nunquam declamabat cf. contr. V. 29. 324.

Quae dicturus erat, plerumque antea stilo excusserat (cf. contr. I praef. 65); sed codices, quos, ne memoriae adirent periculum, multi declamatores nunquam in declamatione

reliquerunt, velut Cassius Severus (cf. exc. contr. III. praef. 296) et Augustus (cf. Suet. Oct. 84), Latro sibi fecerat supervacuos. Ejus enim memoria natura felicissima et arte multum adjuta tantum valebat, ut non solum ad complectenda quae vellet velox esset, sed etiam ad continenda quae acceplsset. Itaque nunquam quae dicturus erat ediscebat neque religebat, immo postquam in scribendo menti impressit, in declamando ne verbo quidem ab iis, quae scripserat, discedebat et omne per vitae tempus omnes suas, quascunque dixerat, declamationes tenebat cf. contr. I. praef. 66. Documentum videlicet eximiae Latronis indolis, qua a natura praeditus erat! Minus miraremur, si lente et considerate scribens res saepe cogitatas et undique circumspectas mente tenuisset, verum scripsit eodem fere, quo dicebat impetu cf. ibidem.

Hac libera declamatione multum profecit; minus utebatur voce actionis praesidio. Eam enim robustam natura ac laterum beneficio magnopere elatam, ut quamvis inter initia parum attulisse virium videretur, ipsa actione accresceret, cum neque exercere neque conservare studeret, sordidam reddebat atque infuscatam lucubrationibus. Quin adeo negligebat, ut ne olei quidem unctione vel ambulatione latera repararet in declamationibus. Non potuit etiam hac in re dediscere Hispani moris consuetudinem: vivere, utcunque res tulit, conf. contr. I. praef. 65.

II.

His praemissis jam aggredimur eam operis partem, qua quem locum Latro tenuerit et in rhetoribus et omnino in litteris Romanis pro viribus nostris describamus.

1. Opportunum autem videtur primum quaerere, aequales quomodo de Latrone judicaverint: inde normam fortasse habebimus, qua, quae solus Seneca de ejus declamatoria ratione tradidit probemus. Qua in re cogitandum magnum inter forensem et scholasticam eloquentiam discrimen: aliud iudicium erit oratoris, aliud rhetoris. Itaque si ab oratore incipiamus, Messala occurrit, vir exactissimi ingenii, in omnes partes Latini utique sermonis observator diligentissimus (cf. Seneca contr. II. 12. 171), et quamvis Cicerone mitior et dulcior atque in verbis magis elaboratus (cf. Tac. dial. 18), dignae orationis, qualis fuit in republica, ante omnia appetens, scholasticorum molli et artificioso sermoni inimicus cf. Quint. XII. 10. 11, Westerm. II. 214. Is num comprobare potuit Latronem, licet egregius fuerit inter ceteros, rhetorem tamen se profitentem? Laudabat, quod laude dignum erat, ingenium, vituperabat, quod ipsum offendebat, sermonem cf. Sen. contr. II. 12. 171. „Sua lingua disertus est.“

Sed qui et ipsi rhetoricis studiis oblectabantur, suis eum cumulabant laudibus. Vix majorem quispiam reportare possit illo, quem Seneca (contr. IV. praef. 266) declamatoriae virtutis unicum dicat exemplum, quo nihil gravius, nihil ejus eloquentia dignius sit cf. contr. I. praef. 69. Idem omnes oratorias virtutes ei vindicat (contr. I. praef. 67) neque primas

dare veretur inter eos, quos rhetorum dicit primum tetradeum*): Arellium Fuscum**), Albutium Silum***), Gallionem contr. V. praef. 323.

Neque vero Seneca, sani et integri judicii vir†), (cf. Westerm. II. § 81 p. 269) propter magnam cum Latrone amicitiam nimium ei tribuit, celebrat eum etiam Quintilianus (X. 5. 18) ut primum clari nominis professorem, summam in scholis opinionem obtinentem, Plinius n. h. XX. 14. 57. „Fuit

---

*) Ed. Bipontina legit „tetracolon,“ sed „tetradeum“ est et in codicibus A et B. et, quantum ex Schottii variis lectionibus perspicitur, in aliis libris praeter Vratisl. „tetraculum“ exhibentem.

**) Quam Seneca semper et Suet. de clar. rhet. 6 Silum nuncupant, ab Hieronymo in Euseb. chron. Ol. 199 „Albucius Silo Novariensis clarus rhetor agnoscitur,“ Silo dicitur. Videtur tamen Hermano in „disputatione de scriptoribus illustribus, quorum tempora Hieron. ad Eusebii chronic. adnotavit“ Götting. 1848 p. 25 n. 64 utrumque cognomen promiscue usurpatum esse, sicut apud Senecam etiam occurrit Gavius Silo, Pompejus Silo, Abronus Silo.

***) Exstat in A et B codicibus post Fusci nomen alius nominis vestigium A cessi B. certi. His ex ductibus a vero non admodum videtur abesse Cestii legere, qui et ipse celeberrimus erat illius aetatis rhetor. At si genuina haec lectio esset, quid sibi vellet „tetradeum“ vox? qua nemo certe putabit Senecam non accurate computantem quinque virorum societatem voluisse significare. Itaque Cestius non recipiendus; neque vero cum editoribus molesta illa vox plane omittenda. Equidem melius puto scribi Arelli, ut plenum exstet Fusci nomen, quod inverso ordine Fuscus Arellius legitur suas II. 10, 21, III. 24, IV. 27, saepissime. Neque quae sequuntur verba „Hi quotiens conflixissent penes Latronem gloria fuisset, penes Gallionem palma“ recte habent. Omissa enim sunt verba „Latronem gloria fuisset penes“ in A et B codicibus, quibuscum propter apertam praestantiam eo libentius facio, quod verba contorta sunt et artificiosa. Quomodo enim qui victoriam tenet non tenet simul palmam, victoriae signum? Videntur supplementum esse librariorum, qui Latronem unicum declamatoriae artis principem ab ipso Seneca dictum recordati, Gallioni eum nolebant posthaberi. Sed frustra laborabant; nam verba Latronis laudi non obtrectant. Agitur de auditorum judicio, quos cur culta et ornata Gallionis suavitas non magis ceperit quam forte et concitatum dicendi genus, quo Latro utebatur, non video.

†) Bonnell l. l. p. 23 haec dicit: M. Annaeus Seneca pauca quidem in opere suo de suo tradidit, sed haec omnia tam apte et nitide dicta sunt, ut Andr. Schottus non immerito dixerit, nihil esse in lingua latina, cum a Cicerone Fabioque discesseris, scriptum purius aut elegantius; simul judicium ejus tam modestum et circumspectum est, animus tam probus et sincerus, ut non fere habeas ducem, quem majore cum fide per rhetorum auditoria sequaris.

clarus inter dicendi magistros." Quid? Num hae laudes parvi sunt faciendae? Minime. Omnes enim erant, qui Ciceronem admirarentur et exemplum esse vellent eloquentiae cf. Sen. contr. I. praef. 63, Quint. VII. 3. 8; neque unquam Latronem tanta laude prosecuti essent, nisi et ipse similibus vacasset studiis. Videmus igitur, quomodo de eo judicium faciendum sit.

Discipuli autem mirum quanta reverentia Latronem colebant. Omnis artis declamatoriae principem eum putabant, qui nihil exile, nihil ineptum dicere posset. Cujus praestantiae cum tantam haberent fidem, ut ex praejudicata opinione omnes fere sententias summo clamore laudarent, hanc negligentiam nisi dolo non potuit tollere cf. contr. III. 19. 234. Sententias ejus, ubicunque poterant, in suis declamationibus imitabantur (cf. contr. II. 10. 154), multas ut carmina ediscebant cf. ctr. II. 10. 155. Quin adeo ad ejus aemulationem se dirigebant, ut ipsam externam faciem praeferre studerent, cuminum silvestre bibentes, quo, quod pallorem gignit bibentibus, similitudinem coloris studiis contracti imitabantur cf. Plin. n. h. XX. 14. 57.

2. Tantam hanc laudem quomodo Latro meritus sit, quantum potest ex Senecae excerptis nunc videamus. Videtur autem ita agendum, ut cum de singulis rebus singillatim dicimus, ceterorum declamatorum usu praeposito Latronis deinde adjungamus usum, quaerentes, utrum diversus fuerit ab illis necne. Et quidem exordimur ab o r a t i o n e.

Latro pro tempore suo aetati ascribendus est argenteae, cujus lingua erat quae aureae aetatis normam prorsus deseruisset. Haec enim non solum severas illius leges, quales Ciceronem videmus summa diligentia secutum, evagata novandi sudio innatam perdidit indolem, sed etiam mirabili illo numero Ciceroniano laxiora orationis vincula sententiarumque ligamina immutavit. Graecae et barbarae tam formae quam constructiones in usum veniebant, poetarum propriae irrepebant in orationem pedestrem vel quae in usu fuerant apud veteres scriptores, verba denique fingebantur ex sola novandi cupidine neglectis quae antea valuerant legibus cf. Bonnell l. l. p. 12. Haec omnia in Latrone inveniuntur. Multa in verborum copia habet, quae a poetis solum vel aureae vel pristinae aetatis adhibita sunt, velut

cellula (contr. I. 2. 81.) obluctari (I. 4. 98,), dirigeo (III. 16. 210), inspoliatus (V. 30. 329), sublapsus (III. 16. 209), pauperies (II. 9. 141), multa argenteae aetatis propria velut adjutorium*) (contr. I. 3. 96), eviratus (II. 13. 181), tortio (II. 13. 176), salutator (II. 15. 193), stuprator (III. 21. 247), delenimentum (II. 15. 195), tyrannicida (I. 7. 115, II. 13. 174 etc.), tyrannicidium (II. 13. 183, ibid. 174, 175), aggravare (III. 17. 219), vitiare**) (I. 5. 106, III. 21. 245, 247), vitiator (I. 5. 107), infelicitas (III. 18. 226) sollicitator***) (II. 15. 193); naturalis (III. 17. 219 eo scilicet significatu, ut sano judicio conveniens aliquid indicet). Atquein iis, quae ad syntaxin spectant, repereris ellipses frequentissimas, maxime „si nihil aliud" (cf. contr. I. 2. 81, I. 3. 93. II. 13. 174, III. 15. 192 suas. II. 20; alias cf. contr. II. 12. 169 Pater istius incertus est; bene cum ipso ageretur, si et mater, III. 17. 219 nec in hoc crimen est, quod Ciceronem, sed quod patronum, III. 20. 238 Occidere aliquis patrem antequam novercam potest? III. 21. 245 O nos felices, si ne nunc quidem, IV. 26. 289 nihil inquit mea, suas I. 10 Num quid immature ab Oceano etc.); responsionem deinde inter tunc et cum partt. (cf. contr. I. 1. 70, I. 4. 100, 102, I. 5. 106, III. 21. 247. 248), creberrimas quaestiones nullo quaestionis signo positas (cf. contr. I. 1. 70, I. 3. 93, I, 5. 106, I. 6. 109, II. 9. 135, II. 11. 157, II. 13. 174, suas. II. 13), adde „in" praepositionem cum substantivo junctam consilio inservientem indicando (cf. contr. I. 5. 106 asservari in tormentum diutius pereundi, II. 15. 109 in lenocinia composita, ibid. in argumentum pudicitiae profuturum putas tibi? saepissime), omissam vocem „esse" post verbum „putare" (cf. contr. II. 12. 166, V. 34. 358 pacem putabat; saepissime), participii futuri activi usum, ut referatur, non in tempus loquenti praesens, sed quod in sententiarum connexu praedicatur (cf. IV. f. 24. 270 ne funeri quidem interfuturus redemi corpus tuum, I. 2. 81 omnes

*) Habet quidem Cic. Oec. ap. Columell. 12. 1, sed videtur Columella hoc loco sensum magis Ciceronis, quam verba referre cf. Forcellinii Lex.

**) Vitiare legitur quidem ap. Cic. ad Att. I. 8, sed alii rectius „initiavit," eadem manente sententia cf. Forcellinii Lex.

***) Sollicitator praeter hunc locum nisi in iureconsultorum scriptis non reperitur.

quasi erepturi venerunt). Et quemadmodum non desiderantur phrases, quas cum ceteris declamatoribus communes habet, (velut si qua est fides contr. III. 21. 245, cf. III. 20. 235, IV. 27. 294, IV. 29. 317, I. 1. 72, 77, at hercules cf. contr. I. 2. 81. II. 15. 195; cf. I. 2. 83, III. 20. 239, id deerat, ut... cf. I, 2. 82; cf. I. 3. 92, I. 7. 117, non habetis quod... cf. contr. III. 18. 225 cf. non est quod... contr. I. 4. 100, II. 9. 146, II. 10. 152, II. 11. 161, IV. 29. 309, V. 31. 336, V. 32. 344, V. 33. 353), sic in Latrone etiam tota oratio periodorum numero privata ex brevibus sententiis constat sine vinculo compositis. Sed haec omnia in communem illius aetatis usum et linguam ascita erant; a novandi studio, nisi huc refers duo verba glomerarius contr. I. 8. 130 (A. glomenarius) et subiniectus contr. II. 13. 174 (A. B. subciniectus) Latro abhorrebat. Repudiabat etiam quam apud ceteros rhetores vides graecarum vocum multitudinem, nescio an propter Graecorum rhetorum fastidium, quod infra commemorabo. Ceterum hoc usitatae linguae studium testatur etiam soloecismus ille, a quo exorsus est orationem, cum propinquum defenderet in Hispania reum cf. I. § 7. Quos nisi fugisset, quomodo confusi animi signa eos Seneca vocasset? cf. contr. IV. praef. 266.

Utebatur vero hoc sermone ut par est praeclaro declamatori. Phrasim habebat non vulgarem, qualis in sermone occurrit et usu familiari, neque sordidam illam Albutii, qui ne scholasticus videretur, ex splendidissima oratione transiret in sordidissimam, nimium orationis splendorem his admixtis sordibus non defendi, sed inquinari non intelligens (cf. Sen. contr. III, praef. 199), sed lecta erat et delicata, nitore, ubi locus ei erat, non destituta.

3. At in ornato hoc et eleganti dicendi genere maximum valent **tropi et figurae**: ea quomodo Latro in usum vocaverit, nunc videbimus.

Σχῆμα vox graeca, cui in lingua latina maxime respondet „figura“ verbum, significat in sensu et sermone aliquam a simplici specie cum virtute immutationem (cf. Quint II. 13. 9), qua oratio singulari quodam habitu involuta jucunditatis et vigoris aliquantum accipit, quo caret in vulgari sermone

cf. Ernesti lexic. technol. Graec. p. 338. Sed nullam habent figurae vim, nisi in oratione argumentum aliquod est, cui apte imprimantur, a quo ita nequeunt dissolvi, ut, quamquam a veteribus oratoribus haud ita raro schemata invenimus adhibita, arte tamen et cogitationis cura ea non videantur inventa, sed mente et animo concitatis, non qnaerentibus ab ipso illo pectoris motu sua sponte suggesta et suppeditata fuisse cf. Ernesty orationem de sentent. Quintil. „Pectus est, quod facit disertum," Schmidt Cethegus Lips. 1834 p. 131. Itaque postquam eloquentia ita commutata est, ut non jam pectus faceret disertum, manebant quidem haec orationis ornamenta, at artificia erant non jam ex mentis vivo fonte exorta, sed cum labore et sudore inventa, quae cum sine ullo compositionis modo ac ratione cuivis rei injicerentur, orationem reddebant tauquam pallium ex diversissimis pannis consutum*) Quod Cicero praeceperat, in dicendo vitium vel maximum esse, a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere (cf. de orat. I. 3. 12), id duri et ineruditi hominis videbatur dictum cf. Sen. suas, 7. 51, exc. contr. III. praf. 399, Westermann § 86, p. 296. Delicato isti rhetorum generi omnia, quae natura dictavit, sordebant, neque ornamenta quaerebant, sed lenocinia cf. Quint VII. Pr. 26.

Facile igitur, qui moderate hoc sermonis ornatu uteretur, carere ea virtute potuit putari. Atque accidit hoc Latroni, cf. Sen. contr. I. praef. 68. Ingenium enim illius quamquam abundavit hac dote, judicium erat strictius. „Non placebat orationem inflectere, nec unquam recta via discedere, nisi cum hoc aut necessitas coegisset, aut magna suasisset utilitas. Schema negabat decoris causa inventa, sed subsidii, ut quod aures offensurum esset, si palam diceretur, id oblique et furtim**) surreperet. Summam esse dementiam, detorquere ora-

---

*) Quanta portenta protulerit hoc studium, Seneca testatur contr. V. praef. 321 et 322 de Musa rhetore verba faciens. Fatuae vero elocutionis figurae fortasse sunt Fulvii Sparsi (contr. III. 19. 230), Vibii Galli (IV. 24. 269), Cestii)IV. 28. 302).

**) Opponit inter se schema et certum contr. II. 12 172 cf. V praef. 322.

tionem, cui rectam esse liceret." Quare prudenter usus schematibus repudiabat quidem eorum in declamationibus coacervationem sed ne careret, si quando sibi usui esse possent, saepe per totum diem componendis iis studebat cf. ibid.

Videntur haec maxime disputata de sententiae figuris, quas Latro vitaverit; eae enim solae intelliguntur in illa quae l. l. exstat schematis definitione. Elocutionis figuris etsi ceteri rhetores multo maiorem habent copiam, si quidem ex iis, quae a quoque dicta Seneca refert, iudicium facere possumus, tamen et Latro saepe usus est annominationis, chiasmi, climacis, epanaphorae, complexionis, antitheti, metatheseos, epanalepseos, prolepseos, conversionis, correctionis, polysyndeti exemplis. Sed et hic sapienter eum arbitrio temperasse, testantur fortasse Senecae verba contr. IV. 25. 285, quae Flori ineptam reprehendunt antithesin „Nunquam Latro sic composuisset, ut quia publicam securim dicturus erat, diceret privata pocula."

4. Verum latius patet in Latrone orationis, quae nimia arte inepta fit et inanis, fastidium; idem cernitur in **coloribus**.

Color enim in thematibus ad declamandum propositis cum ex cujusque rhetoris arbitrio aptus esset, quemadmodum in sermone quam floridissimo uti nitore summa laus erat, sic in colore subtilissimas invenire sententias, dummodo bene dicerentur, maxime fuit in causa, licet de vanitate earum ei, qui proferebat, prorsus esset persuasum cf. Sen. contr. VI. 25. 285: „Hanc ideo sententiam retuli, quia et in tricolis et in omnibus huius generis sententiis curamus, ut numerus constet, non ut sensus." Diversissimas igitur fingebant conditiones, ex quibus disputandi initium facerent, causas supponebant hominum actionibus, quae sanus nemo proferret, neque puerilia verebantur dicere, ubi exhaustis iis, quae probabiliter poterant dici, nova petebant et inaudita. Cui studio si addis, quod ex utraque parte dicere studentes undique debebant quaerere sententiae auxilia, satis liquet, cur in Senecae libro multa inveniamus a rhetoribus insulse dicta, multa quae ipse condemnet, multa quae derideat. Pauca exempla iuverit adduxisse. Contr. I. 1. haec est: Lex. Liberi parentes alant, aut vinciantur. Thema.

Duo fratres inter se dissidebant. Alteri filius erat. patruus in egestatem incidit; patre vetante adolescens illum aluit. Ob hoc abdicatus tacuit: adoptatus a patruo est. Patruus accepta hereditate locuples factus est. Egere coepit pater: vetante patruo aluit illum: abdicatur. — Hoc in themate quam contortus est Triarii color p. 77: Timui, inquit, si aluissem, ne abdicarer a patre: sciebam, quomodo illi placuissem; vel paulo post Argentarii: Cum vetuisset me pater alimenta praestare, si qua est fides, non putavi illum ex animo vetare! Neque melius Cestius agit p. 78: Frater nec miseretur nec praestat alimenta: hoc est, inquam, non vult praeripere filio officium et p. 80: Debuisti me rogare, ut ipse praestarem: debuisti illum ad me perducere, debuisti reconciliationem tentare, non famam pietatis ex nostra captare discordia. Vel in contr. I. 3. ubi incesta de saxo deiecta sed servata an iterum deiiciatur, quaeritur, si Pastor Aetius p. 97 hunc optimum putavit colorem: Sic veneficiis corpus induruit, ut saxa reverberaret, vel Otho Junius pater p. 97: Fortasse, inquit, poenae se praeparavit et ex quo peccare coepit, cadere condidicit — numquid corruptius esse potest? Conferas in eundem modum ineptias Triarii contr. IV. 25, 282, IV. 29. 313, Murrhedii IV. 27. 301, IV. 25. 285, Othonis patris V. 34. 364, Varii Gemini suas. V. 36. contr. III. 18. 222. Buteonis contr. III. 19. 230, Gargii V. 34. 364, duros colores Hisponis Romani IV. 24. 273, Silonis Pompeii III. 19. 231; conferas etiam verba Arellii Fusci contr. I, 7. 122 „tuto autem scribebam“ seq; Albutii fictionem contr. II. 9. 147. Gallionis V. 34. 361, Cestii pueriliter dicta contr. IV. 29. 314, IV. 24. 274. et videbis etiam in claris declamatoribus non desiderari, quae iure mira dici possint.

Hoc scholasticorum commune vitium sanam excedens mentem quia vitabat, Latro egregia laude dignus est. Ille enim sicut in sermone recta via, sic in narratione simplici semper modo agendum ratus rem, ubi potuit, ita tractabat, qualis ex rerum natura appareret, nullum texebat artificium, nihil fingebat vel supponebat, quod neque in controversiae themate inesset, neque omnino nisi inusitato modo in rem

caderet. Qua ratione gravitatem servans orationis, simul ut res propius videretur abesse a veritate, effecit.

Argumenta, quibus hoc Latronis studium probemus, satis multa exstant: optime comparatis eius cum ceterorum coloribus cognoscitur. Itaque ut in controv. I. 7. p. 119 seq, quem modo dixi Arellii colorem praeter veritatem argutiorem, sed ab omnibus receptum aspernatus, quae sola aliquid ad excusandum patrem facere videtur, viam tenuit: nescire se, quid scripserit; adeo mentem fuisse excussam p. 123, ita in contr. III. 16. 211 postquam filii partem sic coloravit Arellius Fuscus: Tentari me a patre putavi; Passienus: Non putavi, patrem utique velle occidi filium; Albutius: Hoc unum mihi praesta beneficium: sine me non tanquam parricidam mori; Cestius: Haec mecum cogitavi: Non est imperatum, ut manu occiderem, non ut laqueo, non ut mari: eligere supplicii genus liberum est, — totum ab istis se removit coloribus: „Non potui occidere," quod ut rectum Seneca laudat. Nec minus bene in contr. I. I. 76, quam supra diximus, simplici colore usus est, adolescentem habere non quod excuset, sed quo glorietur; non potuisse sustinere durum patris esurientis spectaculum, vel praetulit in contr. III. 18. 226 ceterorum ambagibus et coniecturis eam rationem, ut nulla re mutata diceret: „Mori volui taedio abdicationis et infelicitatis assiduae." Atque de Popillio, Ciceronis interfectore, declamanti non placebat eum sic accusari, quomodo quidam fecerunt: „Obiicio tibi, quod occidisti hominem, quod civem, quod senatorem, quod consularem, quod Ciceronem, quod patronum tuum;" hac enim ratione non aggravari indignationem, sed fatigari; contra statim illo veniendum esse arbitratus, ad quod auditor properet, quod patronum interfecerit, accusat et in defensione simplici colore necessitate eum fecisse ostendit (p. 220. Cf. III. 22. 254.) Ex aliis locis, quos afferre possem multos, addidisse sufficiat eos, ubi Latro oppugnat, qui ad alterius causam sustinendam quod in eo iusta laude celebretur detrahant. Hoc enim dolosum est et a recta et simplici via remotum cf. contr. I. 1. 78, I. 6. 113.

Praeterquam vero quod simplicem voluit esse colorem, cavit etiam, ne mollis esset et figuris refertus incredibilibus,

in hac inusitata declamationum specie lenocinium quaerere aspernatus cf. Sen. contr. IV. 25. 284.

5. Quam vidimus in compositione simplicitatem, eadem occurrit in **divisione**. In hac ut ingenii praeferendi late patebat rhetoribus campus, ita decedendi a recta via periculum non longe aberat. Simplex fuit antiqua controversiarum divisio (cf. Sen. contr. I. 1. 74), sed artificiose eam disponere et undique conficere ac collustrare cum quam maxima laude dignum videretur, lasciviebant rhetores multarum quaestionum ostentatione et per mille argumentorum gradus transitu. Accidit igitur quod gravissimum est orationis vitium: non solum non subtiliorem reddebant divisionem, immo operosiorem, sed etiam omnem detrahebant controversiae succum et sanguinem cf. Sen. l. l.; Westerm. II. p. 267. Huc si addis, quod ne cavebant quidem, ne discerptis quaestionibus quae unius erant membra vel tractationis tamquam diversas pertractarent (cf. Sen. contr. I. 6. 120, V. 33, 350), neve inducerent quaestiones ad controversiam nullo modo pertinentes (cf. Sen. contr. IV. 28. 306), vides, quantum inter eos Latro praestiterit, in cujus moribus vitiorum illorum exprobratio haberetur cf. contr. II. 11. 164, II. 13. 181, IV. 24. 271.

Ipse cum quaestionum numerum, quantum poterat, minuebat (cf. contr. III. 22. 254, IV. 28. 305 „plus complexus est"), tum removebat omnes, quae aut simplici modo non possent consistere, aut supervacuae essent. Ideo ut impugnabat scholasticorum morem, conjecturales sectantium quaestiones, quae sola niterentur suspicione, — non enim quidquid spargi posset suspiciose, id etiam vindicandum*) putabat; quaestionem esse, quae impleri posset argumentis, cetera si quis vellet recipere, in colore collocanda" cf. contr. I. 5. 108 — ita non comprobabat eas, in quibus cum jam per se inter judicatas deberent referri, nihil restaret quod quaereretur**),

---

*) Editiones habent „de eo etiam dicendum," sed A et B suspiciose d etiam vindicandum, qua in scriptura d litteram explendam esse ad id vocem liquet.

**) Velut an quidquid optasset vir fortis aut tyrannicida, accipere debeat, quasi iam pronuntiatum esset, non debere.

cf. contr. II. 11: 162; his locum esse noluit, nisi aliae prorsus deficerent*) cf. ibidem.

Qua quidem ineptarum quaestionum circumcisione oratori eum similem visum esse forensi, etiam Asinius Pollio concessit (contr. II. 11. 160), quamquam, quam late pateat haec laus, postea videbimus.

Divisionis autem ratio in Latrone simplex est: plerumque inter se opponit jus et aequitatem, „an possit“ quaerens et „an debeat,“ (veluti contr. I. 1. 75, I. 2, 77, I. 4. 100, I. 6. 112, II. 11. 162, II. 12. 170, III. 16. 209, III. 17. 220, III. 21. 246) quibus tertium haud raro accedit, „an ignoscendum sit“ (cf. contr. I. 4. 100, II. 9. 144, III. 16. 209, III. 17. 220, IV. 24. 271, V. 30. 329). In ipsis autem quaestionum partibus aut prior fit, „quid valeat in universum,“ altera „num idem cadat in singularem rem, quae modo in causa est“ (cf. contr. I. 1. 75. a) An abdicatus non desinat esse filius b) an hic desinat, qui non tantum abdicatus sed etiam ab alio adoptatus est cf. I. 2. 87, I. 3. 96, I. 7. 420, II. 11. 162, II. 14. 187, III. 17. 220, III. 23. 262, IV. 29. 271, IV. 26. 288. V. 32. 341, V. 33. 348), aut postquam posita aliqua re „quid inde consequatur“, quaesitum est, tum“ possitne omnino adhiberi“, disquiritur (cf. I. 1. 75 a) an etiamsi ille indiguus fuit, qui aleretur, hic tamen recte fecerit, qui aluit, b) an indignus fuerit, qui aleretur cf. I. 2. 87, I. 7. 120, II. 10. 153, II. 13. 180, III. 17. 220, III. 21. 246, V. 30. 329, V. 32. 341, suas. VI. 34), aut probata re vel improbata, de contraria etiam dicitur (cf. I. 6. 112. a) An expleverit jusjurandum, b) an etiamsi non explevit, non teneatur religione cf. II. 14.

---

*) Velut contr. II. 14, 187 quaestione utitur, quam fastidiebat. Exstat in editt.: „Hic illam moralem quaestionem posuit, quam solebat fastidire Seleucius“, sed in optimis codicibus nominis loco legitur in A seleuit in B se leuit. Ideo cum Schultingio putidum arbitratus, sententiam hoc loco alii tribui, quae antea Latronis dicta sit, repono quod latere videtur in codicibus, „sed leviter“ sensui plane aptum. Non multum scilicet Latro commoratus est in quaestione, quam repudiabat, sed posuit solum, qua transitum faceret ad alteram. — Utitur eadem quaestione contr. V. 32. 341.

187, III. 16. 209, III. 17. 220, III. 23. 262, V. 30. 329, V. 33. 348).

6. Videtur cum hoc quaestionum deminuto numero cohaerere, quod de Latronis **subtilitate** a Seneca habemus traditum (cf. contr. I. praef. 67) „Putant enim fortiter quidem, sed parum subtiliter eum dixisse."

Subtilitatis quae pars sit intelligenda ut discernamus, succurrunt quae Seneca in sequentibus addit, refellere studens falsam hanc de Latrone hominum opinionem. „Id quod nunc a nullo fieri animadverto, semper fecit. Antequam dicere inciperet, sedens quaestiones ejus, quam dicturus erat, controversiae proponebat, quod summae fiduciae est. Ipsa enim actio multas latebras habet, nec facile potest, si quo loco subtilitas defuerit, apparere, cum orationis cursus judicium audientis impediat, dicentis abscondat. At ubi nuda proponuntur membra „si quid aut numero aut ordine excidit, manifestum est." Quid? Hinc subtilitatem intelligendam esse in accurata divisione conspicuam, si quis nondum concesserit, Buteonis in Latronem impetu, qui est in contr. II. 13. 182 quod juris quaestionem non sejunxerit ab aequitatis tractatione, profecto ad complectendam nostram sententiam adigetur. Subtilitatem enim in illa Buteonis*) distinctione vidit Passienus loco non aptam. Quam si in Latrone ille desideravit, quam facile qui contra morem quaestionem numerum coerceret, carere hac virtute creditus sit, cum maxime praeferret, apparet.

Sed postulat etiam subtilitas, ut cum singulae controversiae quaestiones, de quibus dicturus est declamator, notae et apertae sint auditoribus, ne insidias facere, aut callide aliquid dissimulare videatur (cf. Ernesti Lexic. technol. lat. rhet. p. 387), tum tuta omnia, quae probantur, et ab omnibus partibus munita. At Latro altius interdum volabat propter magnam virium

---

*) „Passienus, vir eloquentissimus et temporis sui primus orator, hanc subtilitatem actionis non probabat in Latrone" exstat quidem in codicibus, sed certe scribendum „in Buteone." Passienus enim quod Latroni assentitur „itaque in aequitatis tractationem cadunt etiam, quae juris sunt", non potest improbare nisi Buteonem, in quem, si reprehenditur subtilitas, haec cadat necesse est.

fiduciam ea usus audacia, ut aliis metuenda et praerupta non dubitaret admittere, multa non persuadens judici sed auferens cf. contr. V. praef. 324. Qua quidem cum valde offenderet catos et circumspectos viros nihil nisi tuta probantes, Clodium maxime Turrinum, de colore acerrimum ipsius adverversarium, potuit quidem etiam hac de re convalescere in hominum animis opinio, subtilitatem deesse Latroni, sed non deerat: desiderabatur solum ut schemata, quia non eminebat. Non ignorans nimis se ostendere maximum ejus vitium esse, hoc Latro sapienter vitabat subtilitate usus inter reliquas oratorias virtutes quasi fundamento tot et tantis molibus obruto cf. contr. I. praef. 67. Dissimulabat eam quodammodo, ut effectu appareret, habitu lateret.

Denique quod Gallio contr. V. 30. 330 subtilitatem etiam in eo consistere putavit, „ut ad positionem controversiae color dirigatur actionis," qui (contr. IV. 28. 305 et 306) Silonis Pompeji colorem impugnaret tanquam controversiae repugnantem; quod scilicet ea non tam generali modo declamata esset, quam in themate fuisset praescriptum, certe magnum subtilitatis documentum dedit.*)

7. Accedimus jam ad **sententiarum** usum. Orationis eae lumina sunt brevissima forma comprehensa et acriter, splendide, fortiter dicta, quae salvo sensu possunt excerpi et referri cf. Tac. dial. 22. Quae quidem in gravi oratione sapienter adhibitae huic maximo ornamento sunt, — habet enim lingua latina propter brevitatem et sonum epigrammaticam, ut ita dicam, indolem — affectatae vero in fracta praesertim et effeminata oratione, quam quasi roboris et virtutis specie illustrent, ineptam hanc reddunt et fucatam. „Soluta fere et e singulis non membris sed frustis collata structura caret, cum illa rotunda et undique circumcisa insistere invisem

---

*) Verba haec sunt: Latro ajebat hunc colorem optimum esse, si recitasset „se recipi nunc non posse": quia ponatur „Non est admissus," sub hoc themate intelligere nos, non hoc illi dictum: „Nunc non potes," sed ex toto: „Non potes." „Nunc," vocem ex meo addidi, quo non apposito contradictio oritur. Nam „se recipi non posse", quoniam idem est, quod in themate est recitatum, quomodo controversiae contrarium esse potest?

nequeant“ cf. Quintil. 8. 5. 27. Ideo immoderata sententiarum captatio vel praecipua fuit causa corrumpendae eloquentiae, quam Quintilianus per totum opus nunquam desistit reprehendere cf. VIII. 5. 34.

Multum in his insaniebant declamatores; multas corrupte dictas Seneca affert, velut ineptias Triarii contr. I. 6, 114, Murrhedii suas. II. 18, contr. III. 27. 223, III. 20. 239, III. 18. 226, III. 20. 241, IV. 25. 285, IV. 29. 314, V. 30, 333, V. 33. 353, V. 34. 364. Licinii Nepotis contr. III. 20, 239, V. 34. 363, Seniani contr. III. 20. 239, Othonis Junii contr. III. 18. 228, aliorum. Adamabat eas etiam Latro (cfr. I. praef. 68,) et saepe per totum diem iis vacabat componendis. cf. ibid.: „Solebat autem et hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil praeter epicheremata scriberet, aliquo die nihil praeter enthymemata, aliquo die nihil praeter has translatitias, quas proprie sententias dicimus“. In quibus quantum profecerit, ex sententiarum copia apparet, quam adhuc discipulus ex tempore dixit Marillo praeceptori frustra eas petenti. cf. ib. Erant autem fortes plerumque et viriles (cf. contr. I. 8, 130, V. 33. 352) et magnopere laudatae ab auditoribus (cf. contr. II. 11. 165, V. 30, 331 etc.), qui, id quod iam supra dictum, eas ediscebant et in suis repetebant declamationibus. Tumidas magis quam fortes solus Albutius eas dicebat, fastidiosus auditor eorum, quibus invidere poterat; sed haec est maligni hominis calumnia. cf. contr. V. 30. 331.

Verum etiam in sententiis Latronem non fluxisse sine modo et ratione, Senecae verba videntur probare: „Locos nunquam attrahebat“ cf. contr. III. 22. 254. Quae verba primo obtutu tangere videntur declamatores, qui sententiis ex magnorum oratorum et philosophorum libris depromptis quasi superinducto colore maciem suam et pallorem obtegere studebant, haud raro fraudulenter mutatis paucis verbis eas pro suis simulantes. cf. Sen. suas II. 20, contr. V. 34. 362, I. praef. 62. Sed ab hoc peccato defendere non opus est tam egregium declamatorem; probam imitationem nemo certe obiiciet. Nam et Ovidius non dubitabat Latronis sententiis, quae placebant, uti in carminibus cf. contr. II. 10. 154, et Latro ipse suas. VI. 32 Ciceronis verba citat: „Tuis verbis

Cicero utendum est: O tempora, ô mores!" Neque in imitationem quadrant sequentia verba: „illos quoque, quos occupaverat, non diu dicebat sed valenter." Quapropter equidem sub voce „locus" talem puto intelligendum, qualem Seneca spectat contr. I. 7. 123: „Hic philosophicum locum introduxit Albutius, quomodo magnis calamitatibus animi everterentur" et contr. IV. 24. 271: „Novissime (quaesivit), an si affectu et indignatione ablatus non fuit in sua potestate, ignoscendum illi esset. Hoc non tanquam quaestionem sed, ut illi mos erat, pro tractatione aut loco." Videtur significari disputatio exordium capiens e loco communi, qui quamvis nihil habeat cum ipsa controversia implicitum, sed satis apte et alio transferatur, tamen ubi commemorandi occasio occurrit, copiosius tractatur. Hos quidem locos translatitios proprie sententias vocabant latini rhetores, tanquam qui de fortuna, de crudelitate, de saeculo, de divitiis dicuntur cf. contr. I. praef. 68. Eosdem vero etsi sententiarum supellectilem Latro vocat, (cf. ibid.) optime tamen hic locus supra citato convenit, dummodo sensum recte intelligas. Non attrahebat locos i. e. non dixit eos, nisi ultro res ad eos duceret; nunquam locum dicendi causa vim fecit materiae, occupatos vero in orationis fluxu non diu dicebat sed valenter cf. contr. II. 22. 254.

Hinc nonne etiam sententiarum omnino moderatus usus evincitur? Adhibere possumus in Latronem Quintiliani verba: „Sed patet media quaedam via, sicut in cultu victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor" cf. VII. 5. 34.

8. Cohaeret cum hac alia oratoria Latronis virtus, qua magnum effugit et dulce rhetorum vitium. Fecerant eloquentiam artem formalem, qua sola orationis specie et verborum sonitu allicerent et deciperent auditores, ut cum eandem rem, quam semel proposuerant, saepius tractarent nova semper forma et orationis artificio ornatam. per multas horas rem possent tractare levissimam. Praestabat hac arte Ovidius (cf. Sen. contr. IV. 28. 307 et 308 „Nam et Ovidius nescit quod bene cessit relinquere") et Seneca tragicus, atque egregium exemplum Votieni Montani Seneca citat contr. IV. 28. 307 propter hoc studium „inter oratores Ovidius" a Scauro

nominati. Verum illinebant quidem auditorum aures, sed orationem corrumpebant. Saepe enim sententiae si solae respiciuntur, optimae sunt et pulcherrimae, sed dum rhetor non contentus est unam rem semel bene dixisse, „efficit, ne bene dixerit." Vituperat hoc Seneca tamquam vitium (cf. 308. Habebat hoc Montanus vitium" et p. 309: „Non minus magnam virtutem esse scire desinere, quam dicere scire.") Latronem autem si contr. III. 22. 254 semper contraxisse et quidquid posset tuto relinquere, praeteriisse testatur, nonne hic vitium illud vitaverit?

9. Quae omnia si comprehendimus, Latro non dubium est quin numerandus sit in iis rhetoribus, qui sanam sectarentur eloquentiam. Veterem et simplicem eloquentiae formam non poterat quidem restituere, quia non jam eadem erant dicendi argumenta, accomodanda autem est dicendi ratio et auditoribus (cf. Sen. suas I. 5) et rebus. Sed laude dignus est non qui exultet in novis et inauditis, vetera plane despiciens, sed qui quantum potest ex his retineat, quippe quae sola undique sint praeclara, exorta ex rei et formae summa quasi harmonia. Et Latro retinuit veterem simplicitatem: eam habuit fundamentum, cui novam formam indueret sano et integro judicio. Ideo ut in coloribus fines servabat rei naturae convenientes, sic in tractationibus vitabat, quae vim facerent linguae legibus. At quia ornare debebat declamationem, hauriebat cum ex larga verborum copia tum ex magno sententiarum apparatu, et utebatur varia figurarum supellectile sed ita, ut qui in aliis rebus immodicus esset, in hac sola re modum sciret tenere. Ac studebat etiam implere declamationem, quantum poterat, solido quodam et digno argumento; advocabat in suas partes historiam, apta ex ea depromens exempla, (velut Marii contr. I. 1. 70. Fabriciorum II. 9. 142, Miltiadis IV. 24. 270, Pulchri, Metelli, Catonis V. 30. 328 et 329, Manlii et Bruti V. 32. 342 cf. suas. VI. 34, contr. II. 9. 135, V. 34. 358), tractabat haud raro juris quaestiones, proferebat multa, quae ad instituta civitatis et mores tam pristinae aetatis quam suae pertinebant (cf. contr. II. 11. 162, 164, II. 14. 187, II. 15. 192; I. 2. 81, I. 5. 106, II. 9. 135, II. 15. 196, III. 16. 209,

III. 21. 247, III. 23. 262, IV. 26. 289, V. 32. 342; V. 33. 349; II. 15. 191, 194, 195, I. 3. 107, III. 17. 216, IV. 29. 311, II. 9. 142.). Ne longus sim, utebatur magna sua doctrina ita, ut eloquentia ejus aliud quid esset quam ingenii et facetiarum sola ostentatio. Itaque equidem nullo modo intelligo, quo jure Graefenhan (Gesch. der class. Philol. im Alterthum IV. § 269 p. 185) ita judicet: Antiquarische und grammatische Forschung zeigen unter Augustus wenigstens noch Messalla, Cass. Severus, Passienus, Trachalus und A., während M. Porcius Latro und Caj. Albutius Silus schon zu denen gehören, die sich weniger um gediegene Kenntniss, als um Zungenfertigkeit und ohrenschmeichelnde Redensarten bemühen.

11. Atque si simplex quodammodo Latro jure dicitur, minus fortasse mirum, quod Graecos et contemnebat et ignorabat cf. Sen. contr. V. 33. 352. Hoc quidem loco non intelligendas esse litteras Graecas neque rhetorum libros de arte rhetorica scriptos, non opus est verbo tangere. Nam si quis alius, Latro artis erat peritissimus, quam unde debebat haurire nisi ex Graecis? Intelligendi sunt aequales declamatores. Discrimen enim faciendum est inter Graecos et Latinos: illi initio soli erant rhetores, Latini provenerunt inde a Plotio Gallo. Sed cum Graecis exercitationibus melius ali posse ingenia putarentur (cf. Cic. ap. Sueton. de clar. rhet. 2.), non solum multi, cum declamabant, exercitationis causa Graeca utebantur lingua, velut Cicero ipse ad praeturam usque declamabat Graece, Latine senior (cf. Suet de clar. rhet. 1), sed etiam Graecorum scholae erant praeter Latinos, in quibus quae audiverat plura Seneca affert, et multi declamatores unius linguae eloquentia non contenti utraque utebantur. Cum enim Latine declamaverant, toga posita, sumto pallio quasi persona mutata redibant et Graecam dicebant declamationem cf. contr. IV. 26. 291. Digni etiam videbantur Graeci Latinis, quos cum imitarentur tum etiam ad verbum in Latinum transferrent (cf. suas. VII. 50, IV. 29), non commendationis aut furti causa, ut ait Arellius, sed exercitationis: „Do, inquit, operam, ut cum optimis sententiis certem, nec illas corrumpere conor sed vincere“ cf. contr. IV. 24.

273. Sed ut fuerunt, qui Graece aspernarentur declamare, velut Cestius et Argentarius, quamvis uterque Graecus esset (cf. Sen. contr. IV. 26. 291), sic alii Graecos imitatione habebant indignos. Cujus contemtus causam facile inveneris. Florebant illis temporibus in Graecis Asiaticae dictionis genera: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis, alterum non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum cf. Cic. Brut. 13. 95. cf. Westerm. I. p. 176. Iis omnes a Seneca commemorati studebant: Glycon Spiridion, Diocles, Carystius, Artemon, Euctemon, Dorion, Apaturius Grandaus, Metrodorus, Aemilianus, Nicocratus, Pausanias, Glaucippus, Plution alii (cf. Westerm. I. p. 188), in quibus multi sunt celebribus nominibus, velut Addeus non projecti nominis (cf. contr. IV. 24. 273), Aeschines ex bonis declamatoribus (cf. contr. I. 8. 129), Hermagoras artis maxime peritus (cf. Westerm. I. p. 194), ad cujus imitationem Albutius exarserat (cf. Sen. contr. III. praef. 199), Lesbocles „magni nominis rhetor" (cf. suas. II. 18), Nicetes, cui soli inter Graecos id contigerat, quod Latroni inter Latinos, ut ipse solus a discipulis audiretur (cf. contr. IV. 25. 283, suas. III. 24). Itaque etsi auctoritate eos caruisse non potest contendi, tumidum et fere dithyrambicum dicendi genus, quod omnes fines excederet, num, quaeso, potuit placere illi, qui simplicem peteret orationem, in figurarum et sententiarum ornamento non exuberanti? Mollis et culta Graecorum dictio nonne offendere debebat fortius dicere solitum ut Romanum? (cf. I. praet. 67, I. 8. 130, V. 33. 353; cf. contr. II. 15. 190 „dicebat Agrotas inculta, ut scires illum inter Graecos non fuisse, sententiis fortibus, ut scires illum inter Romanos fuisse"; quaestionum denique usus abundans potuitne non laedere eum, qui sapienter in iis modum teneret? Itaque quod dictionis studium contrarium erat, Latro, ut ipse ab oratoribus improbabatur, sic Graecos contemnebat rhetores.

12. Satis jam et quantum ex fontibus licet, adumbrasse nobis videmur locum, quem inter suae aetatis rhetores Latro

habuerit; addendum, quod oratoris muneri prorsus impar erat. Nam quantum inter se diversa sunt pugnare et ventilare, agere et in somniis laborare, ludus et arena, tantum differt ab oratore declamator. cf. Cassium Severum ap. Sen. contr. III. praef. 398. Hi cum declamabant, non studebant reum defendere vel judici de accusati innocentia persuadere, sed auditores volebant oblectare. Loquebantur quae longe meditati erant, non interpellati ab adversario neque turbati fori strepitu et quae multa sub divo confundere poterant oratorem, sed velut claustro assueti inter tacitos et intentos auditores deducentes orationem. Securi hi quidem in aequo mari vehebantur et vento secundo, illi in turgido jactabantur aequore et procellis agitato. Recte de iis Seneca dicit: „Agedum istos declamatores produc in senatum, in forum, cum loco mutabantur, velut assueta clauso et delicatae umbrae corpora sub divo stare non possunt, non imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt: assueverunt enim suo arbitrio diserti esse“ cf. exc. contr. III. praef. 399. Quae quis jam narrat, quin Latronis utatur exemplo? quem cum quondam pro propinquo Rustico Porcio in Hispania reo causam suscepisset, foro adeo confusum esse, ut ad se non rediret quam judicio ex foro in basilicam translato, jam supra narratum cf. § 7. cf. Sen. contr. IV. praef. 266. Quint. X. 5. 18.

Sed latius patet hoc rhetorum vitium. Nam a publico judiciorum usu remoti cum regulam sumerent ex scholastica consuetudine ex ea omnia recturi, quae scholastici bona arbitrabantur et laudabilia, mirum quam perversa saepe videbantur oratoribus cf. Sen. contr. IV. 29. 313 „Elegantissime deridebat Montanus Votienus in hac controversia ineptias rhetorum, quod sic declamarent, tanquam haec, quae nominata est, infans esset, neque intelligerent, si talis esset, ne futuram quidem ream.“ His in judicialem usum peccatis ne optimi quidem rhetores vacabant; reperiri ea etiam in Latrone locus probat ap. Sen. contr. II. 11. 163. Arbitratus enim quasi judicatam quaestionem, „an pater ob dementiam, quae morbo fieret, tantum accusari a filio deberet,“ et negandam propter fictas de lege (quae praeposita est controversiae)

et officio patris quasdam controversias, ubi neque furiosus dici posset neque absolvi ut impius vel foeda libidine commotus, male contenderat induxisse Fabianum illam quaestionem. At non modo non judicatam eam, immo validissimam pro patribus et judiciali usu satis firmatam demonstravit Pollio. Quare cum resecaret Latro quaestionem ut supervacuam, forensi quidem videbatur similis, qui inepta et abundantia vitare debet, sed decedens ab usu hac ipsa improbatione maxime deprehensus est scholasticus*).

Alterum argumentum nescio an sit Scauri ludus ap. Sen. contr. V. 30. 329, qui cum Latro quaerens, num injuria esset, quod pauper sordidatus divitem sequeretur, omnia injuriae genera comprehendisset, „pulsare non licet, convicium facere contra bonos mores non licet," Nova formula, inquit, injuriarum componitur, quod ille contra bonos mores vivit.**)

Haec puto satis probare, Latronem in artis scholasticae finibus studium suum collocasse contentum fuisse, ejusque morem ita induisse, ut alio non posset consistere.

---

*) Sanissima igitur videtur librorum scriptura „in nulla magis illum re scholasticum deprehendi," et futilis Schultingii emendatio „in nulla minus re." Falso is propter praecedentia verba „Latronem videri tanquam forensem facere" Pollioni re vera in aliqua re forensem visum esse Latronem putavit.

**) Haec est loci in ed. Bip. species collata cum A et B codicibus: Sordidatus sum, inquam*: multi faciunt(*quam A B). Omnia injuriae genera comprehensa sunt (sit AB): pulsare non licet, convicium facere contra bonos mores non licet. Hoc loco Scaurus dixit. Nova formula injuriarum componitur, quod nihil (ille illi A B.) contra bonos mores fecit (uit A B). Ex his equidem textum ita reposuerim: Latro sic divisit: An in re injuria sit. Nulla, inquit injuria est. Sordidatus sum: quam multi faciunt. Omnia injuriae genera comprehendit: pulsare non licet, convicium facere contra bonos mores non licet. Hoc loco Scaurus dixit: Nova formula injuriarum componitur, quod ille contra bonos mores vivit.

IIII.

De Latronis scriptis.

Quae jam restat qnaestio, edideritne Latro declamationes, de ea judicium facere quam difficile sit, ex Senecae verbis patet contr. I. praef. 63. „Fere aut nulli commentarii maximorum declamatorum exstant aut, quod pejus etiam, falsi. Itaque ne aut ignoti sint aut aliter, quam debant, noti, summa cum fide suum cuique reddam."

Supponebantur declamationes jam primis florentis artis rhetoricae temporibus. Atque tunc quidem, cum ad praeparandam forensem eloquentiam declamatores causam saepe retractarent a praeclaro oratore antea actam, vel proponerent rem, quemadmodum illum tractaturum eam fuisse putabant, imitati in ea illius sermonem et dicendi rationem, haud raro factum est, ut hae declamationes postea illius putarentur orationes. Falsus est hoc modo ipse Quintilianus. Is si IV. 1. 68, IX. 3. 39 declamationem aliquam in Ciceronem scriptam tamquam Sallustii laudat „conviciis inficetis et insulsis refertam, quae ita omnem modum excedunt, vix ut ea admodum adolescentulus, cum primis labris litteras degustare coepisset et extumesceret etiamtum et exuberaret ejus ingenium, nulladum rerum et hominum cognitione percepta, insignis ille Romanorum historiarum conditor emittere posset, qui sancte omnia et graviter dixit, quemque Quintil. (X. 1. 101) non veretur opponere Thucydidi (cf. Bonnell l.

l. p. 20, Cortius ed. Sall. p. 1048, Corradus quaestura p. 85 sq. ed. Lips., Petrus Victorius Var. et antiq. lectt. XXXVIII, Argentorati 1609 p. 370—373, Vossius de instit. orat. I. p. 372 ed. Francof. 1616,) quamvis eruditione praestans neque ita multum post Sallustii aetatem vivens, quanto magis falli debebant, quibus deesset ingenii acumen aptum ad cognoscendum, quid cujusque scriptoris vel in lingua vel in tractandis rebus proprium esset? Atque hoc modo Ciceronis nomine quot declamationes vulgatae sint tamquam genuinae, cui ignotum? Postea vero cum de fictis thematibus agerent declamatores, quae omnium communia in codicem quasi redacta erant, eaque tam a magistris quam a discipulis pari modo tractarentur, certe non mirum, si supponebantur claris rhetoribus declamationes sive a discipulis in eorum scholis dictae sive ad eorum imitationem perscriptae. Quintiliani declamationes, quae dicuntur, nonne prope accedit ad veritatem exercitia esse discipulorum? Et re vera hoc modo Latroni suppositam esse de Popillio declamationem a Capitone, praeclaro et bonae fidei scholastico, compositam, testis est Seneca contr. V. praef. 323. Itaque exstante Latronis nomine aliqua declamatione, certe cum suspicione ad eam aggrediemur quaerentes primum, num omnino ediderit declamationes.

Qua in re quamquam inter libros, quos Seneca tradidit ab oratoribus et rhetoribus scriptos, (cf. suas. II. 20. Victoris Statorii tabulas, contr. I. 3. 97 Junii Othonis patris colorum libros quattuor (cf. contr. II. 9. 148), contr. V. praef. 319 Scauri septem orationes, V. praef. 320 Labieni libros, V. 34. 363 Timagenis libros historicos de rebus a Caesare gestis perscriptos, IV. 29. 316 Votieni Montani scripta rhetorica, exc. contr. III. praef. 395 Cassii Severi scripta), Latronis declamationes non sunt, hoc tamen silentio non puto Quintiliani testimonium refelli. Citat enim ille IX. 2. 91 ejus locum „Occides ergo? Si potero,“ (quocum alterum Spaldingius confert IX. 4. 106 „Si potero“), ita solutum ex perpetuo sermone, ut per se intelligi nequeat. Qui cum ostendere videatur editas declamationes, quae cuique praesto erant, eo libentius hoc concedemus in Quintiliano ex libris

scriptis solito haurire.*) Addunt aliud argumentum Latronis verba ap. Sen. contr. IV. praef. 324. „Esse quosdam colores prima facie duros, asperos, qui non possint nisi actione probari. Qua propter et se ipsum nulli placere posse, nisi totum se et suas vires noverit.“ Actio enim pronunciatio est, quae fit vultu, gestibus, voce (cf. Ernesti Lex. technol. lat. rhet. p. 16,) oratorium illud robur et mucro pugnatorius, quibus quae lecta effectu carent et rigent, viva voce emissa animum audientis inflammantia auferunt. Hae quidem vires sunt, quae non omnibus contingant: defuerunt Papirio Fabiano, cui nulla vocis intentione et corporis asseveratione dulcis et facillimo cursu res circumfluebat quasi injussa et voluntaria (cf. contr. II. praef. 132); qui vero habet, ei majori commendationi est audiri quam legi. cf. Sen. exc. contr. III. praef. 395, V. praef. 391 „Sed exstant libelli, qui cum fama ejus (scil. Scauri) pugnant, multoque dissolutiores ipsis actionibus. Illas enim cum destitueret cura, color adjuvabat; hi coloris minus habent, negligentiae non minus;“ exc. contr. II. praef. 395 „Non est, quod illum (Cassium Severum) ex his, quae edidit, existimetis. Eloquentia ejus longe major erat quam lectio.“ — Itaque quoniam habebat Latro has vires, cum interesse debere actioni contendat qui ipsum velit totum cognoscere, quonam modo aliter i. e. non totus potuit cognosci nisi ex scriptis declamationibus?

Edidisse ergo Latronem declamationes non negandum; sed quasnam ediderit, quaeritur. Quinque profert Meyer oratt. Rom. fragm, I. p. 539. Quarum primam de Theodoto, Pompeii interfectore suasoriam, commemoratam ap. Sen. contr. II. 12. 171, cur editam statuat, nusquam equidem video argumentum: nihil nisi declamatam eam a Latrone Seneca profitetur. Altero deinde loco Capitonis de Popillio declamatione prolata, utpote quae Latronis nomine circumferretur (cf. contr. V. praef. 323), tertiam adjungit eam, unde Quintilianum (IX. 2. 91) sententiam sumpsisse supra diximus, nobis deperdi-

*) Seneca hoc loco non potest ejus fons fuisse, quippe qui controversiam habeat de raptore patrem suum non exorante (cf. contr. II. 11), nec vero illa verba.

tam. Quartam deinde proferimus declamationem a Meyero quinto loco positam et jam in Sallustii editionibus Venetis Porcio Latroni tributam. Sed comparata ea cum excerptis, quae Porcii a Seneca nobis tradita sunt, quin diversos auctores quivis cognoscat, non dubito. Vidit hoc iam Vossius in libro de vitiis sermonis III., VI. p. 403 ed. Francof. 1666 s. v. coaetaneus ita scribens: „Aiunt „coaetaneus" apud Porcium Latronem legi oratione in Catilinam „Marco siquidem Catoni aut Scipioni coaetaneo suo" cf. c. 2, sed enim is scriptor supposititius est. Multa adeo sunt declinantis latinitatis argumenta, ut cuilibet non obesae naris constare possit, alium esse ab illo Porcio Latrone, quem non uno in loco sic laudat M. Annaeus Seneca, philosophi parens. Ludovicus Carrio ineptissimum appellat sophistam. Mihi adeo insubidus non videtur. Potius accessero iis, qui auctorem Vibium Crispum arbitrantur. In his est Hadrianus Junius in libro de Coma cap. VIII." Cuius quae huc pertinent verba, haec sunt: „Porcius Latro, sive is Vibius Crispus fuit (id enim controversiam esse video), in Catilinaria invectiva acerbe sugillat Romanos iuvenes, qui in oculis civium calamistrati obvolitant passim" cf. Lampas s. fax artium liberalium colleg. Gruterus Argentor. 1609. tom. IV. — Pressit Vossii vestigia Cortius in Sallustii editione Lips. 1724, p. 1079 hoc modo iudicans: „Exstat ea declamatio etiam in edd. nostris Venetis. At si verum fateri licet, non Porcii illius, docti et exercitatissimi viri, potius novitii cujusdam hominis foetus esse videtur: quippe quae ex Sallustio partim, partim ex Cicerone nullo saepe judicio consarcinata est." Neque qui, quantum sciam, novissime quaesivit de hac declamatione, Bonnell l. l. p. 20, genuinam putat: „Tenuis et exilis est quinta declamatio contra L. Sergium Catilinam M. Porcio Latroni, celebri Augusti aetate rhetori, tributa, quam tamen Cortius novitii cuiusdam hominis foetum vocat. Compositio est quidem numerosa et decurrit oratio longioribus periodis quam in orandi exemplis a Seneca traditis et in declamationibus Quintiliano vulgo assignatis, ut intelligas, auctorem studiose in dictione Ciceronis effingenda versatum esse; cum tamen non ante secundi p. Ch. seculi initium, ubi Quintiliani ma-

xime doctrina et exemplo eloquentiae studiosi paulisper ad Ciceronem imitandum denuo compellabantur, scripsisse ostendunt et dissolutae interdum structurae sententiarum (velut c. 3: „Quarum pestium quanta in dies redundatio est, vos estis testimonio iudices,“ et verba aut temere ficta aut ex longinqua antiquitate repetita, qui mos illo demum seculo coepit invalescere. Cujusmodi est prodigalitas c. 9., nusquam alibi repertum et resuscitatum illud Plautinum „nihil fuit illo monstro versipellius c. 9., atque inelegans nec fere nisi in recentibus commentariis et librorum dedicationibus frequentata singulorum verborum per „necnon“ junctura; adde illud Floro ac Justino usitatissimum, atque in enumeratione plurium verborum ante extremum insertum“ cf. c. 2.

His quidem doctissimorum virorum judiciis facere non possum quin assentiar: nullo modo declamatio est Latronis, sed obscuri alicujus hominis, Ciceronem et Sallustium inepte imitati. Quam imitationem non solum in toto numero, sed etiam in verbis et rebus recte*) Cortius agnovit et Bonnell, cognoscimus etiam, ubi tamquam imitator errat.**)

Forma etiam non hominis est, qui ex sua mente lingua utatur, hauriens ex vivo ingenii fonte, sed haerens in verbis, quae placuerunt, et dicendi ratione delectatus suo loco aptissima, haec ubique adhibeat et orationem inde efficiat tumidam et decoctam. Exultat noster ineptis translationibus (cf. Cortium ad c. V. n. 3, VIII. n. 1, XII. n. 2, XVIII. n. 1) et graviore modo loqui studens, ubicunque potest, nomina aliis stipat nominibus (cf. Cortium ad c. VII. n. 7, X. n. 3, XV. 6), non contentus rem uno adornasse epitheto, sed duo apponens eaque maximam partem superlativo prolata, ita ut in decem quibus incipit oratio capitibus sexaginta superlativi exstent. Quin etiam auget eos praeposita syllaba per,

*) Cf. Cortium ad c. I nota 2, II. n. 3, 4, 5, IV. n. 1, 4, IX. n. 9, X. n. 3, XI n. 6, XV n. 2. 9; de rebus cf. Cortium ad c. II. nota 2, IV n. 2, IX n. 6. 7. 8, X n. 2, XI n. 1, XIII n. 1, XIV n. 1, 2, 5, XV n. 4, XVI n. 3, XVII n. 3, XXX n. 4, XXXII n. 1, XXXIII n. 1, XXXVII n. 2, 6.

**) Cf. Cortium ad c. XIV n. 3, XXIV u. 3, XXVIII n. 3, XXIX n. 1, XXXI n. 2, XXXV n. 2.

velut permaxima (c. XXI). Verbis utitur compositis pro simplicibus, velut devenire (c. II, XIV.), demanare (X,XXIX, XXXVI) aliis, et eligit omnino voces, quae plenum quodammodo sonantes summa vi auditorum aures pulsent, velut summus, ornatissimus, crudelissimus, teterrimus, monstrum, pestis, portentum, sceleratissimus, furiosissimus, omnibus fere capitibus non semel exstantes.

Talia Latro nunquam commisit. Sed habes etiam aperta labentis latinitatis signa, quae perinde alium hujus opellae auctorem ostendunt. Nam quod pertinet ad grammaticam rationem, „ac“ particulae tam frequens est usus, ut exempla plus centum quinquaginta exstent, quorum in plerisque duae notiones ea conjunguntur particula, in multis pluribus enumeratis verbis ante extremum ac insertum est (cf. c. II, XVII, XVIII bis,) quod in c litteram exiens scribitur etiam ante ca, ce, con similia (cf. Cortium ad XXXVI. n. 3); utitur deinde dictione sine dubio maxime ante superlativum, (cf. c. II, III, VII. XX bis XXVIII), alio modo X, XIII, XXIX, XXXIV, XXXVII; siquidem ponit pro quidem (cf. c. II, IV, XI, XXVII, XXXVI), addit verbo plurali collocato equidem (cf. diximus equidem c. III, XXII), „itaque“ vocem ubicunque usurpat, ponit non sententiae initio sed secundo vel etiam tertio loco (cf. X, XII, XIV, XIX. XXXIV), namque secundo loco ponit c. VII, igitur tertio loco c. XIX; comparativos denique et superlativos format verborum, quorum in classicis auctoribus desunt, velut mutabilissimus c. XVI; invictissimus c. XXXVIII. Argumento etiam sunt quatenus vox posita pro ut (cf. Cortium ad VIII. n. 5), versutia vox c. XI. usurpata eodem sensu, quo eversio dicitur, rusticari verbum vitam solutiorem et lascivam licentiamque servorum atque alia ejusmodi Saturnalibus licita innuens, cum apud veteres sit ruri agere vel agriculturam exercere (cf. XVII. nota 5). Voci autem a Bonnellio allatae „prodigalitatis“, equidem addiderim „obvolito“ verbum (cf. c. XI, XXXII), nusquam nisi in hoc declamatore exstans, coaetaneus (c. II. et apud Apul. et Tertull), fugator c. XVI. et ap. Cyprian. usurpatum (cf. Forcellini Lexic. s. v. v.), contemptibilis (c. X, XXXIII),

quarti vel quinti seculi vocem. Sed c. VI. accusativum c. inf. post ducere verbum „qua ductus est, universum senatum ex memoria repulsae consulatus capitaliter fuisse semper insectatum“ et c. XXVI. constructionem „neque exspectaremus abuti“ Cortium malo dolo innuere arbitror auctori, cui, cum a Manutio et Grutero tantae stultitiae absolvatur, hic stultissimum quidque tribuere non veretur. Conviciatur enim, vel illudit, ubicunque potest, quae autem bene dicta sunt iis gloriam detrahit (cf. IV. n. 4, V. n. 3, VI. n. 4, XI. n. 8, XII. n. 4, XIV. n. 7, XVIII. n. 2, XXIII. n. 4, XXX. 4, XXXV. n. 2.) At vereor, ne hoc injuste faciat: illis locis certe emendatione opus est.

Quin Latronis declamatio non sit, dubium ergo non est; sed cui tempori, cuive auctori tribuenda sit, has quaestiones hoc quidem libello intactas relinquimus.

Aliam, quae Latronis nomine circumferatur, declamationem quod non habemus, scrupulum iniicit Corradus in quaestura p. 86 verba faciens de Ciceronis declamatione in Sallustium et huius in Ciceronem responsione, falso his auctoribus tributis. De posteriore quarto loco a Meyero posita iam supra dictum cf. p. 45, prioris nemo sanus Ciceronem putabit auctorem. Nam „cum dictio, quamvis non rudis sit aut barbara et argenteae certe Latinarum litterarum aetatis, longe abest ab elegantia, urbanitate, nitore Tulliani sermonis, tum Ciceronem, etiamsi ira et animi motibus interdum nimis perturbatus ne conviciis quidem temperavit, ut in M. Antonium, in M. Pisonem, in alios habitae orationes testantur, tamen nunquam adeo abripuit iracundia, ut probris et maledictis continuaret totam orationem“ cf. Bonell. l. l. 20. Neque Corradus Ciceroni tribuit p. 86 seq., sed rediens ad alias duas orationes „sic inscriptas et scriptas, ut nemo nisi admodum diligenter eas legat, non putet alteram Ciceronem contra Catilinam dixisse, altera Catilinam Ciceroni respondisse“, ita pergit: „Ego certe sic a principio putabam, sed cum postea rem paulo diligentius examinassem et Aristarchus hac in parte fuissem, intellexi, eas ab aliquo declamatore ut Porcio Latrone scriptas fuisse, et eo magis, quod inter illas ipsius Porcii Latronis illa declamatio nobilis erat col-

locata. Accedebat dicendi genus ita simile, ut nemo non posset eas ab eodem ex eadem quasi farina vel cera factas iudicare. Idem propemodum de orationibus hisce, de quibus quaerimus, dici posse video." Disiungit igitur in Catilinam invectivam ab altera, quam dicit nobilem illam; sed quaenam haec est? Videtur duas in mente habuisse orationes Catilinarias, quarum altera nostram fugit notitiam. Sed utut hoc est, quod Latroni illas orationes tribuit propter similitudinem inter eas cum illa intercedentem, eadem intercedente cum duabus Sallustianis, hoc fortasse recte contendit, omnes eiusdem esse auctoris, non recte Latroni nostro tribuit, cui quidem illam in Catilinam invectivam abiudicavimus.
